

**De medicis, iisque innumeris pro existentia ac providentia Dei argumentis exile tentamen ... / [Johann Heinrich Schmid].**

### **Contributors**

Schmid, Johann Heinrich, active 1731.  
Camerarius, Elias, 1673-1734.  
Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Typis Antonii Henrici Roebelii, [1731]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dneftpb7>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

8.  
Q. D. B. V.

DE

# MEDICIS, IISQUE INNUMERIS

## PRO EXISTENTIA PROVIDENTIA DEI ARGUMENTIS EXILE TENTAMEN

---

HOC

JUBENTIBUS MEDICÆ FACULTATIS STATUTIS

P R A E S I D E

ELIA CAMERARIO, M.D. ac P.P.  
CONSIL. ET ARCHIATR. WIRTEMB.

### PRO LICENTIA

IN AUGURALI DISPUTATIONE PUBLICO ERUDITORUM  
EXAMINI SUBMITTIT

JOH. HENRICUS SCHMID, Ulma-Suevus.

ad d. Mart. MDCCXXXI.

T U B I N G A E,  
TYPIS ANTONII HENRICI ROEBELII.

58700 (27)





## I. N. D.



Nnumera sunt, quæ attentioribus Medicis ubique occurunt, imò sese obtrudunt, pro Dei existentia, atque providentia, argumenta, quæ si pro dignitate essent tractanda, exponendaque, pleniori deductione ad convictionem usque incredulorum, volumen nobis scribendum esset vastissimum, totumque Medicinæ Systema eò foret inflectendum; nos verò nunc quidem, brevem tantummodo atque extemporalem scribere de re tam vasta, atque excellenti Dissertationem, eoque solùm scopo induximus animum, ut Tirones Medicinæ excitemus ex veterno, qui gravis incubat generi universo mortalium, qui-que efficit, ut Dei opera Magnifica ubique habeant magno agmine obvia, sed, compressis quasi oculis non nisi corticem aspiciant, latentemque, sub schematibus istis Dei providentiam prorsus negligenter transmittant, quam palpare tamen poterant, imò debebant.

Si paucis etiam quibusdam, qui excitari se ad attentio-nem uni necessario præstandam patiuntur, dare hīc occasio-

A

nem

nem potuerimus in stadio Medico Christiana ut decurrent sedulitate, operæ nos omnino fecisse pretium existimabimus.

Non alio argumento evidentius patet depravatio humanae mentis, ac stupiditas malitiosa acumini rationis adeò jactato adhærens, quām miserrima circa existentiam Dei fluctuatione; primam enim hanc veritatem solaribus radiis cuilibet creature inscriptam, insculptamque, sine stupiditate monstrosa nulla mens sui conscientia potest negare, ἀναπολόγητος est quisquis hac plena luce circumfusus oculos petulanter claudit, ac siquidem Medici fungatur munere duplex monstrum erit, duplex incredulitatis inexcusabilis prodigium. Non potest enim non videre, imò palpare providentiae divinae perpetua, quæ menti, oculisque, ejus obversantur specimina, qua igitur fronte excusabit vel negligentiam, vel stuporem, vel incredulitatem tamē enormem; pudeat eum, qui Christo dedit nomen, ea non agnoscere, quæ Galenus, spissis paganismi tenebris immersus tanta cum convictione perspexit in scrutinio corporis humani.

Atheonum differentiæ passim diversis exhibentur schematibus, pauciores aliis, aliis plures statuentibus eorum varietates; neque, in his consensu est. Monuitque, jam aliquis Eruditorum, non nisi Atheos oris, aperte negantes Deum, attendi, aut judicio aeratione Atheos, qui in mente sibi dicant, non esse Deum, non vero satis respici ad Atheos cordis, qui Deum, autorem suum amantissimum, excludant ex corde suo, coque impendant qualescunque, ingenii sui nervos. Nostrum non est, classes istas vel formare, vel in ordinem redigere, ingens enim hic subest differentia graduum ac modorum: Medicus attentior reperit inter Hypochondriacos, hystericasque, ubi tentationum accedunt naturali malo fluctus,

fluctus, Atheos, qui sub illis suis, quas permittit Deus, tenebris, nec Deum credunt, nec animæ æternitatem, ejusque sequelas; quis verò hos in classem atheorum referat? qui meliores reverà sunt coram Deo, quam multa eorum milia, qui ore saltem profitentur Deum; quanta verò, ut cum his circumspetè agatur, requiritur sapientia ac circumspetio, æquè ac cum aliis affinibus, qui miserè fluctuant, dubiisque, urgentur, ut ipsis videtur, prævalentibus; hī diversitas sese offert dubitantium juxta Cartesii methodum ac præscriptum; istaque ingens diversitas fundatur in mente, vel prava, vel sub divinum prius obsequium reducta, hi enim ad solidam per dubitationes anxias certitudinem per luctas acerbissimas eluctabuntur, dum priores fluctuationibus suis, affectatisque sæpe dubiis infeliciter immoriuntur.

Et quanta, quæso, sunt agmina eorum, qui ne tantum quidem sibi parare incommodi sustineant, ut cogitare seriò, atque ad examen vocare velint magnam illam quæstionem, an detur Deus? parum solliciti de cultu quoconque interno, externum ex consuetudine observantes. Ut frustra omnino sint cum Bailio illi omnes, qui disputant acriter, an Respublica meris Atheis constans, præstet alteri quam superstitioni formant? quæ sanè quæstio ridicula est, non ideo solùm, quod casum supponat non dabilem, rempublicam meris constantem Atheis, æquè ac si talem supponeres, quæ constaret meris desipientibus, ac stultis, statui terræ hujus, quantumvis corruptæ, ac depravatæ haud convenientem, sed etiam ex eo potissimum capite, quod utrinque tanta diversitas detur graduum, malitiæ, atque insipientiæ, ut de pretio utriusque, talis absurdæ reipublicæ frusta disquiras, nisi specialius determinetur quæstio. Bailius neque superstitionum, ne-

que atheorum ambitum omnem, tricasque, satis profundè noverat, pugnatque & h̄ic andabatarum more, quod solenne ipsi fuit, non obstante magno suo acumine, quod pr̄sumtio superba non raro obtusum reddidit.

Mirè differunt lumina mortalium, sunt, qui ubique vident agmina atheorum, aliis ex adverso, iisque, ex eruditorum præcipua classe, serio negantibus dari atheos; neque, forsan adeò adversis hi pugnant frontibus; priores stupidas atheistorum practicorum cohortes habent ob oculos, alteri verò theoreticos intellectos volunt atheos, qui cum convictione quadam, sine formidine oppositi, speciosis fulti rationibus negent sine hæsitatione constanter supremi Numinis existentiam; tales dari nec mente possunt concipere, nec rem sibi persuadere, quam sacræ literæ, videntur negare, dum dicunt, omnes homines nosse Dei existentiam naturâ; existimant igitur, vel nullum esse posse, vel paucissimos, qui eò usque obbrutescunt; cum maximè Deus, dum vita durat, omnium corda pulset benignissimè; perpendendum verò ipsis erit, obdurata pectora, & in reprobum tradita sensum huc proximè posse accedere.

Si verò Viri perspicacissimi dubitent adhuc, an dentur athei theoretici, qui sit, ut tot ubique libris certatim eos impugnent omnis generis Eruditi, qui plaustra librorum ipsorum stoliditati opponunt operosissimè? fatebimur, eos non plane esse negligendos, relinquendosque miseriæ suæ, qui ruunt infelicitter in hoc incredulitatis barathrum; nimium tamen operæ in iis debellandis vel ideo haud censemus insumendum, ne crescat eorum superbia, & vana de robore Spiritus sui persuasio, cui tanti se, tamque frequentes opponant athletæ literarii. Miser ille vitrorum tornator Spinosa scopo suo potitus

tus est, nominis scilicet celebritate, cum à nemine non refutetur, ac si egregiis, speciosisque, summas veritates impugnat argumentis, cum tamen illa sint tam ferculnea, magisque, contemptum mereantur, quam innumerarū istas magnoque molimine factas refutationes.

Ii verò, qui Atheis sese opponunt tam operosè provocant adornamentum purioris Ecclesiæ, B. Spenerum, censemque cum illo, ingruisse eam temporum calamitatem, quam B. Vir ita præviderit: *Sæpè cogitavi, inquit, eò rem deventuram, ut, qui Theologiæ damus operam, non adeò controversiis illis incumbere necesse habeamus, quæ inter eos agitantur, qui Christi profidentur doctrinam, quam quæ nobis cum apertis Theomachis intercedunt.* Elucet in scriptis B. Viti eximia prudentia, an verò acu hīc rem tetigerit, meritò dubites; cum profanitas eorum, qui etiam putant se credere Deum, longissimè magis requirat curam Theologorum, quam utræque hīc allegatæ controversiæ; parumque proficerent ii, qui tanto molimine cum hominibus his occœcatis, induratisque agerent, quacunque demum methodi arte atque evidētia uterentur; oleum sanè perderent, operamque, ac longè magis necessaria negligerent.

Unde etiam doctissimos Viros, impugnando pulcherrimis libris stoliditatem atheistorum, paucos ab iis reportare videmus triumphos, paucissimi per scripta erudita redeunt ad mentem saniorem, non ideo saltem, quod scripta illa sint inæqualis roboris, sed ob corruptionem potissimum profundam animorum induratorum, haud facile ulla rationum vi percellendorum; Utut enim libri hanc in rem scripti sint virium inæquilibrium, omnes tamen suum habent pretium, suamque utilitatem, ob insignem atheistorum, tum obscuriorum, tum fluctuantium diversitatem, quorum numerosæ classes insignem quo-

que requirunt argumentorum varietatem, tot enim sunt gradus tum in cœca atheistorum intelligentia, tum in voluntatis depravatione, ac durtie, ut argumenta evidentia ac robore inæqualia respectu mentium diverso gradu occœcatarum æqualem tamen habere possint efficaciam, ut quod unum caput heteroclitum, acutumque judicio suo, ne obiter quidem commoveret argumentum, alterum possit concutere atque intimius afficere.

Omnes ergò libri in hanc rem editi merentur laudem, omnia argumenta habent robur, sed respectu variorum ingenuorum, gradibus varians, & afficiendi modis. Namque & illa, quæ demonstrativa verè sunt, & mathematica evidentia concludunt, metaphysicæ è fontibus hausta, talia non erunt homini nexui veritatum non assueto, & sibi tamen blandienti de acumine suo, quod revera nullum est, ac facilius ille cedet, probabili cuidam sensusque, magis ac phantasiam ferenti argumento; ut revera acutissimus philosophus nihil sibi queat promittere, si cum homine agat pertinaci, ac stupidiore, quam ut possit assequi omnem argumentorum subtilitatem.

Qua verò ratione fit, ut tot innumeri scribantur libri, tot cumulentur argumenta, ac nullibi tamen compareat proportionatus tantis conatibus effectus? Sunt qui omnes omnino rationes congerunt quacunque graduum diversitate polleant, atque virium, viginti, imo ultra triginta; alii acquiescunt in paucioribus, quæ ipsis videntur stringere, unicum quidam urgent, quod si fuerit verè demonstrativum, omnino sufficit, non ad frangendam obstinationem animi pertinacis, sed ad acquiescentiam animi æquitate haud penitus destituti.

Alii Metaphysica argumenta unicè æstimant, physica alii, alii moralia; omniaque si ritè applicentur, rectissimè se habent;

habent ; omnesque proin libri suum h̄ic habent pretium , pro argumentorum robore , ac proponendi modo diversum . Audacter tamen dicimus , respondemusque , ad motam modò de parco librorum fructu quæstionem ac querelam ; nullos h̄ie sufficere libros , argumenta nulla , quantumvis præstantissima ; nisi altior accesserit vis , docti omnes atheos conversuri latrem , æthiopemque lavant . Intimius penetrantia h̄ic requiruntur remedia , ad chronicum tales , radicatumque morbum debellandum , radicitusque extirpandum . Cor tale chalybeum , occœcatumque tangendum , aperiendumque est digito DEI , emolliendumque per divini efficaciam verbi , ac per gravissimas crucis , misericordiarumque vicissitudines ac plagas .

Consulamus experientiam , horum etiam stultorum effacissimam Magistram , ac facile agnoscemus nulla huc rationes evalescere , nisi intimiores admoveantur divinitus stimuli . Posset equidem allegari exemplum Comitis Buffi de Rabutin , qui lectione librorum Abadii reductus est ad sanam mentem , illosque adeò postmodum æstimavit , ut aliis sui furfuris hominibus seriò injunxerit , ut eorum lectionem absolvant quavis trimestri , redeantque quavis vice ad novam lectionem , quem demum placitura sit . Novimus verò lectionem argumentorum scitissime deductorum animum viri acutissimi non prius penetrasse , quam probè fuerat , ac prorsus inclementer tortus continuis podagræ diuturnæ insultibus , ac postquam per septendecim annos Regis gratia atque aspectu , intolerabili superbo hominis cruciatu , fuerat privatus ; tum emollitum est saxeum , profanumque cor , cessitque lectioni argumentorum egregii libri , ipse postmodum domus suæ concionator futurus , de quo Agnata , Domina de Chantal Celeb . in juventute edixerat , hunc suum cognatum futurum adhuc suo tempore sanctum , atque

que piuim. His mediis benignissimum Numen impressit depravato cordi argumentorum robur , his fregit pertinacem animum, ut concederet tandem veritati post tot, tamque varias mentis, corporisque torturas.

Videamus alterum, ac pejorem hoc Rofæ Comitem, salutari pœnitentia impietatem suam pulchrè finientem. Ille Doctissimi Præsulis Burneti argumenta parvi fecit, cumque is moneret, debere ipsius naturam sublimiori principio regenerari ac immutari, hoc non multum ab entusiasmo abludere existimabat Comes ; instante Episcopo, omnes philosophicas speculationes, nisi precibus se ad Deum assiduis convertat, nihil profuturas, passus est fractus morbi, angorumque conscientiæ vi Comes, prælegi sibi caput 53. Esaiæ , fassusque est, se ad vocem prælegentis verba divina vi interna correptum , quæ ipsius animum adeò illustraverit, adeoque ipsum convicerit, ut ulterius resistendo impar esset; verba enim habuisse autoritatem, quæ se coruscantium instar radiorum animo ejus infixerint, ut non tantum rationibus, quæ intellectui suo<sup>o</sup> satisfaicerent, convictus sit, sed vi quadam, quæ ipsum tam validè reprimebat, ut ab illo tempore in Servatorem suum tam firmiter crederet, acsi in nubibus apparuisset. Sic enim instrutus divina verbi vi dicebat, se nunc de utroque, & de veritate Christianismi , & de vi internæ gratiæ , Deique in anima operantis certissimum esse factum, absoluteque se ac humilianter lubenti animo submisit sanctæ ac benedictæ DEI voluntati atque placito. sive viveret, sive moreretur; scripsitque ad Præsulem ultima hæc animæ pœnitentis verba : Concede mihi tuas preces, ut Deus , si placuerit, mihi parcere velit, quo in futurum emendatoris vitæ specimen edam ; Si verò DEO visum vitæ meæ finem imponere, ut non respuat animam agentis

tis pœnitentiam, eaque impleat promissa, quod, quo tempore peccator se ad illum convertat, ejus sit miserturus. Offer, dilectissime Doctor, has preces Deo Omnipotenti pro languente, tibique obsequentissimo Rofæ Comite. Prolixius ista huc transtulimus, cum hic Comes non fuerit ex stupidioribus, sed ex acutissimis DEI hostibus; adeò verò ille mansuetus, humilisque factus est, qui omnibus prius insultaverat, DEI hominumque contemtor; non argumentis tantum, sed potenti, ac luminoso DEI verbo, animum feriente potentissimè; Sic Deus ex lupis facere potest agnos, cum illi in fovea miseriarum fratram prius viderint senserintque rigidissimam duritiem suam.

Addimus his Excellentem quoque Medicum, laqueis primum incredulitatis implicitum potenter satis, & qui hodiè inter præcipuos suo merito refertur Scriptores, qui Atheismum debellando DEI admirandam providentiam existentiamque in clarissima luce posuerunt, in vastissimo naturæ theatro ubique evidentissima ejus detegentes vestigia. Facile agnosces, loqui nos de D. Niewentydt, cuius opus egregium in præcipuas Europæ linguas traductum est dudum ex Belgico Idiomate; Insigni huic Viro nec ingenium deerat, nec vasta rerum omnium notitia, excellebat insuper in profundissimis Matheseos speculationibus, ut vel Leibnitio ausus fuerit movere litem circa calculum differentiale; peritissimus igitur fuit methodi demonstrandi, scientissimus rerum naturalium; mireris talem virum posse de DEO dubitare, ac cœcutire ambulando in solaribus radiis; at factum tamen hoc esse docuit nos ex ore Cel. D. Prof Wesselii Max. Rev. D. D. Maichelius.

Omnes istæ notitiae præstantissimæ, subsidiaque amplissima mentem ex profundis hisce eripere tenebris haud valuerunt, donec divini verbi efficacissima vis naturalia lumina qua-

si postliminio è laqueis tenebrarum eripuit, ac genuinæ reddidit mentem, rationemque hactenus inter tot apparentia lumina, occœcatam perspicaciæ, ut dehinc ex omnibus operibus DEI Magnificis præstantissima in publicum daret argumenta, quibus potentissimi Creatoris stabilitur tum existentia, tum providentia. Verba scilicet Salvatoris: Dico enim vobis, nec Salomonem in ommni gloria sua æquè fuisse vestitum ornatumque, quam qnidem contemta campornm lilia; hæc enim jussit contemplari Optimus Salvator, idque dictum sibi credit Vir insignis; liliaque, ac affines plantas subjiciens microscopio, eas in iis detexit pulchritudines, omnem omnium artificum luxui inservientium artem longissimè superantes, splendoris, texturæ, ac vivacitatis colorum præstantia. Vedit dehinc ubique Magnalia DEI, eaque publico quoque manifestavit, sed vibrato prius in mentem hactenus turbidam æternæ lucis ac verbi radio, depulsaque pristina caligine spissa.

Multum igitur operæ inutilis insumunt ii, qui tam operosè ratiociniis agunt contra atheos, maximè Scepticos; qui Dogmatici adhuc sunt, imo fluctuantes, non omni cura sunt indigni, Scepticos verò nimio assieunt honore, quotquot in iis convincendis elaborant. Cum de hoc aliquando Virum quendam Eruditum moneremus, regessit ille: Spiritum Sanctum non dedignari hanc atheistorum curam, eosque operosè in verbo suo ad meliorem revocare mentem, nostrum igitur esse, eos omni etiam nisu ac labore reducere in regiam viam; Cum verò loca allegata intueremur attentius, aliud non potuimus agnoscere, quām eos vocari compendiosè in Scriptura stultos, quo omnes eorum virtutes ac merita continentur, quis verò mortalium suis viribus stultum reducat ad sanam mentem; loca verò quæ Vir Doctiss. allegabat, deprehendi-

mus

mus non agere de atheis, sed de Idololatris, ab iis admodum diversis, qui anapologiti sunt, dum Deum, quem omnino agnoscunt, ac non possunt non ex creaturis agnoscere, non ut Deum colunt, sed vanos, absurdosque de eo formant conceptus, & ejus sanctitate prorsus indignos.

Quæ verò ad nostrum jam scopum haud faciunt; quamvis non Theologorum solum, sed omnium omnino mortalium sit atheos de DEI existentia ex creaturis convincere, Scripturam verò eò applicare non cuivis datum est, cum eam non admittant, nisi prius, uti supra citati tangantur divino illius lumine, ratiocinia eò non assurgunt, nec frigidæ dictorum objectiones. Ac omnino ita est, plurimum deficiunt, qui age-re cum atheis sustinent, in modo cum illis agendi; hinc sa-pè eorum vel protervia, vel malitia, vel petulantia augetur, plurimumque sibi placent, cum illudere Theologis, aliisque, eos irritare, suisque in oculis prostituere queunt,

Talem sibi habuit obviam Summè Rever. D. Langius, cuius empæctæ impudentia ipsi extorsit Causam DEI, postea editam. Nimiam sanè Vir Doctiss. patientiam exhibuit & coram, & in scriptis irrisori, qui aliud non agebat, quam ut la-cesseret, deluderetque Virum summè in Causa DEI laborio-sum. Annon præstisset eum prorsus contemnere cum amico suo, ejusdem furfuris vel ficto vel vero homine. Nec verò nostrum est leges præscribere tanto Viro, ad minimum cre-dimus, si dicere mentem nostram liceat, potuisse insignem Vi- rum, ipsi ut responderet, vel unam concatenatis negotiis sur-ripere horulam, statimque concisa responsione eum compesce-re, cum argumenra ipsius animo fuerint nunquam non præ-sentissima; certum enim est Scepticum huncce atheum demon-strationes Causæ DEI insertas, nunquam fuisse admissurum,

quippe qui obfirmaverat dudum animum , ac proin contem-  
tum merebatur , non responcionem operosam; quâ sibi po-  
tuit placere , acsi talia ac tanta proposuisset dubia, ut iis &  
tempus fuerit impendendum & studium tam prolixum.

Magnus ille Jurisconsultus , Christianus Thomasius pro-  
lixè satis egit cum atheo , qui talis nulla ratione videri vole-  
bat , publicique juris fecit Consilium ipsi scriptum; nemo non  
videt , Viri Cel. modum agendi cum homine isto adæquatum  
ipsius dispositioni non fuisse , nec licuisse inde sperare fructum  
ullum , aut imminutionem incredulitatis , quoniam media ad-  
hibita eò minimè poterant evalescere. Egit scilicet cum illo,  
uti cum homine incorrigibili , quiue firmo proposito atheorum  
partes suas fecerit , cum tamen forsitan obfirmato adeò , indura-  
toque animo haud fuerit misellus Vertumnus , qui studia sua  
absolverat sub ductu Viri Ill. & hīc quoque quærebat reme-  
dium , ubi forsitan culpa sua aliquam contraxerat profanitatem ;  
difficile est medium tenere , cum res ad religionem spectantes  
hiliori stylo traducuntur subinde , nec certa semper princi-  
pia stabiliuntur , servanturque ; hinc facile decidit homo insta-  
bilis in scrupulos , fluctuat , ac magis magisque religionem si-  
bi pro lubitū format , limitatque , quæ paradoxæ suæ rationi  
conveniat ; si & in docente viderit mutationes graviores , qua-  
les fuere Viri Ill. qui in prima quam Poireti scripto de Erud.  
præfixit præfatione totus erat Mysticus , admiratorque Bur-  
goniæ usque ad excessum ; in altera verò præfatione , omni-  
busque subsequis scriptis , Lokiomentem , non satis imbutam  
solida veritate , pervertente , totus est in derisione rerum , ac  
personarum , actionumque etiam bonarum , ac laudabilium.

Præstitisset hinc forsitan agere mitius , ac magis amicè cum  
hominē noto , ac petente consilium . Rigidè verò eum repu-  
lit

lit Vir Ill. hac forsan occasione clarè ostensurus, quām injusta  
 sit accusatio Atheismi ipsi inflicta non olim solūm Lipsiæ, uti  
 ipse tradit prolixius, sed & postea frequentissimè; Poterat igit  
 tur Apologiam hīc solennem edere; sed & poterat parcere mi  
 sello, remque serio magis tractare, omissis Hans Sachsi rhit  
 mis, in se bonis, hominem verò magis irritantibus. Sequi  
 voluit Vir Ill. Schaftsburii Comitis Methodum, qui Enthusi  
 astum juscit curare reddendo eum ridiculum, methodumque  
 hanc generalem voluit esse veritatum Lydium lapidem; de quo  
 tamen errore gravissimo eum monuit Leibnitius, magnus alias  
 ejus acuminis admirator. Paucis, præstitisset nihil respondere,  
 quam ridiculam tales ac scandalosam instruere scenam. O  
 quanto rectius revocarentur istiusmodi homines ad cor suum,  
 ad conscientiæ dictamen, ad miseriæ agnitionem; sunt enim  
 superbissimi, multumque de se præsumentes, ac de acumine  
 suo, ipsi sibi soli videntur sapere, reliqui velut umbra va  
 gantur in eorum oculis; sunt plerique semidocti, inflati, ali  
 quando & potentes, loquentes pro autoritate, audacter alios  
 suspendentes naso adunco. Hic precibus opus est ad Deum  
 pro talibus mente captis, hīc pectore firmo, ad ipsorum in  
 solentias concoquendas, ac patientia infinita, ne si quæ adhuc  
 in mente tenebricosa supersit luminis boni, tactusq; Divini scin  
 tilla, eam vel durior, vel languidior agendi modus penitus  
 extinguat. Divinitus data Sapientia requiritur, si agere cum  
 istiusmodi deliris, at sciolis, cum fructu aliquo præsumas;  
 multi enim affectant nescio quam in profanitate sua certitudi  
 nem, cum nullam plane possideant, sunt feroce, insultant  
 que veritati, contemnuntque omnia, quæ cordi indurato ap  
 plicantur monita, omnem metum, formidinemque pedibus  
 subjecisse videri volunt, cum verò imminet periculum, cum

morbi urgent, mortemque vident appropinquantem, tre-  
munt, ac despondent animum, Spiritusque antea tam alti,  
deprimuntur miserrima desperatione, ac incurabili plerumque  
terrore; tremor tunc horrorque succedit petulantia audaciæ.

Cæterum, ultimum hoc Exemplum ansam nobis suppeditat monendi, ne tam promptè atque incogitanter pro Atheis declararentur promiscuè homines vel ore, vel scriptis liberiores, Ill. Thomasius non fuit Atheus, etsi toties à rigidis nimium ingeniis eum in censum relatus; uti chm magnum unicunque multorum ex eruditis artificium est, facere, ac declarare hæreticos, ita eadem fere facilitate prorumpunt alii ad odiosas Atheismi imputationes; quoties vident aliquem liberius recedere à consuetis hypothesisibus, cumprimis circa Sacra, hisque affinia dogmata, non attendentes ad proportiones ac pondera, seu momenta errorum. Explosio magicorum phœnomenorum universalis hanc de Viro Ill. ideam ipsis impressit, stylique acerbitas in exagitandis, quæ ex tenebris Ecclesiæ quondam incumbentibus remansisse censebat Sphalmatibus. Utinam mitiorem, æquioremque animum, Edzardoque magis dissimilem induerent eruditi; non nisi gravissima urgente ratione, ac necessitate ad tam graves accedendum est accusationes. O quam dissimiles sunt Domino suo tales servi immites.

Sic Artimonios, Woolstonos, Whistonos, similesque temerarios Scriptores non statim decet vocare Atheos, etsi revera plus nocent publico, quam omnes Atheti haec tenus cogniti. Bailium in hanc classem detrudere æquitas forsitan patitur, ( etsi Episc. Burnetus dixerit: Se pro Deista habuisse Bailium, lecto autem Dictionario eum non posse non habere pro Atheo:) Sunt enim ibi multæ inter exornata pulcherrimè stercora Margaritæ, ac solidæ veritates, errorumque impngna-

pugnaciones ; piū nemo dixerit fluctuantem hunc , incertumque , quid credere debeat , philosophum ; mors eum præveniens non passa est finem habere ejus scepticismum , forsū ipsi satis gravem , cum in gurgite inœtitudinis nataret inter dubia circa puncta religionis præcipua , vacillans ubique ( il cherchoit maître ! ) Utinam lascivientia modernorum ingenia tristi ipsius exemplo sapere discerent , ne se ipsos ab Atheismo absolventes Atheis revera sint pejores , magisque incorrigibiles , practici quippe Atheismi , qui ubique dominatur dolendum in modum , mancipia detestanda , etsi inter Eruditos lumina quædam & columnæ videantur cœcis suis admiratoribus .

Illustrem Schaftsburium quidam detrudere in hunc censum ausi sunt ; iniquum id nobis videtur , etsi enim à Libertinismo quodam in philosophando liber pronunciari haud possit , iicet ad sacras etiam res derisionem ( de les rendre ridicules ) imprudenter extenderit , persuadens sibi , verè sacra non posse reddi ridicula , sicque phantastica atque falsa , & inepta posse detegi ; hæc tamen non increduli prorsus , sed luxuriantis animi sunt indicia , & vero Christianismo more seculi perversi haud imbuti ; cæterum , cum gravissimas veritates Philosophicas tam eruditè eruerit ac stabiliverit ingenii laudem omnino meretur ; etsi vel ipsius exemplo constet , acutissima ingenia sæpè prudentia in rebus propriis destitui , hecticæ enim obnoxius petiit Neapolin , vitam in calidissimo climate diutius , ita vanè sibi persuasit , protracturus . Sed citius ibi succubuit , iste verò non proprius ipsi , sed nationis error est , quæ Montpelium aut Neapolin sedem hecticis assignat , qui in Anglia sine dubio diutius , extra urbem Londinensem , essent superstites .

Id verò nostri nunc instituti non est , ut atheismi accusatos liberemus ab ista imputatione , multi enim tales sunt , & non

non dicuntur, multi non sunt & dicuntur tales ex intemperantia affectuum abadversariis, hoc saltem optaverim, ut paucis talia objicerentur viris, cum hæc imputatio atrocissima sit, neque admittatur ab æquitate Christiana, nisi ubi res est prorsus evidens. Potest sub vagis istis accusationibus contingere, ut is fœdo athei nomine aspergatur, qui & alienissimus sit ab ista labe, & optima suggerat argumenta contra hanc pestem; alius verò parum forsan de rebus divinis credens, pro orthodoxo habeatur, colaturque, modò contra alios, qui suspecti jam sine ratione redditi sunt, violenter insurgat, atheos in speciem acerbè perstringat, siveque reverà cum spectris pugnet, fine seria animi convicti intentione. Hominum hypocrisis est amplissima.

Et quis dubitet in ista rerum confusione tales passim cœdias inter eos fuisse hactenus exhibitas, qui sine solida Christianismi possessione tanto numero hactenus de rebus maximè arduis, ac divinis tanta sœpe animi levitate scripsierunt, vel ut hominibus aliis placeant, vel ut alios subinde his artibus denigrent. In genere optandum est, ut magis serio res tantæ tractarentur, atque fructuosius scriberetur de rebus divinis, ex bono cordis emendati thesauro, rectius enim de Deo scribet, aliasque docebit qui unitus est cum Deo. Dolendum est, sœpe in rixas degenerare, & sine fructu protrudi scripta, quæ res tam arduas deberent in luce majori ponere.

Interest enim regni tenebrarum, ut nunquam patiatur unanimis eruditos omnium, quas vocant, Facultatum, conspirare in magnalibus Dei oculis, mentibusque, imprimendis. Quod enim laudabiliter agunt Theologi moralibus potissimum argumentis, id suo quivis in genere in adstruenda communis omnibus veritate deberet agere. Et quid non sperandum esset

set à Physicis, Medicisque; hi enim hactenus ardore insigni omnia naturæ regna perreptant, atque exutiunt solicè, utinam semper huic inservirent præcipuo scopo, gloriæ optimi Creatoris manifestandæ atque amplificandæ.

Allucebat spes talis eximia, cum viri insignes, Leibnitius, atque Stahlus, (at quanta nomina) videbantur jungere operas suas, disquirentes inter alia de rebus quoque, huc pertinentibus; si quisquam res hinc dare potuisset maximas, atque efficacissimas, expectandum id erat à Viris his tam profundè doctis, ac vastissima scientia præcellentibus; sed & hinc spe tanta excidit attenta eruditorum recte sentientium cohors, molimina enim illa, quantumvis erudita, basinque subministrantia gravissimis pro gloria Dei disquisitionibus, magno bonorum omnium dolore, desierunt in Sciamachiam (ita quidem Ill. D. Stahlio peculiari scripto dictam) et si bonæ, præparataeque, mentes ex erudita ista confusione possint innumera discere, attentaque meditatione eruere ex velitationibus istis, quæ vagæ poterant videri, veritates egregias, sub ipsis his obscuris disceptationibus in majorem lucem vindicatas.

Non nostrum est ingredi umbras istas, et si nobis satis planas, lucidasque; habentur sanè in scripto isto, quasi abscondita, profunda, quæ ad scopum hunc nostrum faciunt argumenta, sed brevitas nobis præstituta non patitur nos evagari liberius; commendamus aliis graves has meditationes, neque enim omnes eo valent penetrare, monente in scripti fronte Viro Ill. dupli effato: Qui possunt, si volunt, judicanto; qui volunt, sed non possunt, abstinendo; & græco illo: *πολλοις αντιλεγουσι μεν εθος περι παντος ομοιως, ορθως δ' αντιλεγουσι υκ ετι τητ εθος.* Monendi saltem sunt discentes, ut has controversias à tantis Viris agitatas non despiciant, multa enim ex eorum di-

sceptatis discere possunt, et si in umbras res videatur desuisse. Hoc enim inde accidit, quod Cel. Stahlius sparsa Ill. Leibnitii per Latina, gallicaque, diaria schediasmata non legerit, nec ob vasta negotia conquerere potuerit, ad hæc scripserat Leibnitius res gravissimas tam succinctè, ut ænigmata non immērito potuerint videri Doctis. adversario, hinc utrinque, aberrationes à scopo, ac dissensus augmenta, infrauctuosaque, disputatione, quæ poterat ad gloriam Dei, multorumque commoda largissimè evalescere.

Latent sanè sub acerbis istis, ac subinde aculeatis disquisitionibus semina veritatum eximiarum; neque existimem verum fuisse inter Viros de argumentis pro existentia Dei dissensum; fervor disputationis ansam huic, speciemque dedit. Laudaverat obiter Leibnitius argumentum Auzouti Galli desumptum ab organis generationi dicatis in omni animalium, usque ad minima insecta genere, eorumque mirabili habitudine, ad proportione; cum tantæ varietatis ineffabilis concinnitas Ens infinitum, intelligens necessariò supponat, ac requirat. Videatur id contemnere Cel. Stahlius, ac præferre argumentum à conscientia, pœnisque malefactorum desumptum; Leibnitius (quod fieri consuevit in litibus eruditorum) etiam his videtur vim suam reddere dubiam, ac jubet potius inniti ordini rerum, atque necessitati causæ primæ; sic lites dubia reddunt, quæ sunt certissima, etiam ipsis dubitantibus.

Organorum generationis habitudo plenè considerata nunquam excludetur à D. Stahlio, nec conscientia, ac pœna à Leibnitio (utut hæc contra atheos negantes non concludant, quo sensu à Leibnitio καὶ ἀριθμοὶ sunt ad probandum parvipensa) nec alter Vir Cel. ordini rerum, causæque primæ necessitati refragabitur si mens quieta sit; largieturque facile, ut spero,

spero, Leibnitio, debere existentiam Dei, & animæ immortalitatem naturâ nota esse ; de quo etiam erat inter illos disceptatio. Paucis, agnovimus nos ex ipsis tantorum Virorum venerationibus, si illi. Stahlum audiamus, umbratilibus, omnibus his argumentis, & quæ adferri solent, quibuscunque, aliis, vim inesse non contemnendam, modò illa adhibeantur loco, temporeque, conveniente, & contra Atheos diversos, quibus & diversa mentem facilius tangere argumenta ipsa humanarum mentium varietas, perversitatumque insignis differentia persuadere nobis ultrò poterat, cum maximè ingenia magis paradoxæ, atque heteroclitæ non dentur quâm inter mentes istas, quæ se fortes jactitant, cum sint debilissimæ, utpote passionum suarum miserrima mancipia, atque ex ipsa hac ratione intellectu, etiam cum ipsis videtur egregiè perspicax præ aliis, ita præjudiciorum radicatorum nebulis spississimis obvoluto, intricatoque, ut ne quidem ulla ipsis integra, reliquæ fit judicandi sine partium studio libertas.

Quamvis verò plurima ex concentrata hac, doctissimaque Sciamachia ad hunc nostrum scopum liceret recensere, ac conferre, non nisi unicum tamen, solumque Casum, de quo ibi amplissime disputatum est, allegabimus. Hoc enim vocabulo (res sanè non est:) mirè sibi placent atheorum affectæ, et si nunquam vel minimo indicio notum possint facere, quid sit ille, quem toties in ore habent cum vulgo; casus, (uti nec necessitatis suæ, quâm ineptè sçpissimè allegant distinctam aliquam suppeditare possunt ideam) Habent quidem Epicuri quosdam affectas præeentes, satis tamen ob stolidum adeò inventum dudum ab aliis exagitatos.

Nullibi verò promptius imperiti vanum hoc vocant in subsidium vocabulum, quam in Medicis rebus, ubi omnia in-

epitissimè casui adscribi audias, non à vulgo solùm, sed & subinde à peritioribus, cum obrepere sibi finunt somnolentiam in ratiociniis, experientiisque suis, nec ad causarum nexum uti par est, scienter attendunt. Non potuerunt verò Viri Celeb. circa casum convenire, cum Leibnitiana de Monadibus doctrina Doct. adversario tum non fuerit satis perspecta, has enim nititur quicquid protulit in medium Ill. L. qui in illa posuit fundamentum Universalis Harmoniæ, stupendique qui in illa viget nexus; hæc cum nonnisi ænigmatica brevitate extulisset Vir. Ill. distinctè concipi ab Antagonista Cel. non potuerunt; hinc umbrarum pugnæ; quisquis enim altius dignatur perpendere, quæ Salvator optimus dixit de specialissima DEI providentia, de capillorum, at quām vilium rerum, dinumeratione, de passerculo nullo sine nutu DEI in terram cadente, ubique sapientissimam DEI providentiam habebit vividissimè obviam; etsi gradus hīc omnino sint mirabilis istius, atque specialis providentiæ, quæ cum omnia momentaneè conservet, alia tamen ratione inanimatis, animatis alia, alia intelligentibus omnibus, ac prorsus singulari conjunctis secum fide animabus invigilat.

Nullus hīc casus est nisi à nostra intellectus debilitate, limitatione, atque ignorantia. Quisquis igitur negaverit providentiam, adstruxeritve casum (non respectu nostri, sed respectu DEI) is Deum negat. Conspirabant igitur in summa rei certantes inter se de casu Viri, sed dissentiebant circa modum, atque amplitudinem specialissimam ac generalem, ob non satis perspecta alterius Viri Dogmata. Si sola in controversiis DEI Gloria, proximique spectaretur utilitas, fructus inde redundarent in publicum uberrimi; quamprimum verò affectus sese admiscent, ac præjudicia, fructus omnis, quem sperare

rare alias licuisset, in prima perit, suffocaturque herba. Neque tamen ita prorsus comparatum arbitror cum Erudita Sciamachia; si quis à partium studio verè alienus, soliusque veritatis solidæ sectator genuinus suas illi impendat Meditationes profundiores, attentioresque, næ illi paucissimæ paginæ plura offerent, ad præsentem nostrum spectantia scopum, quād quidem volumina aliás haud exigua valeant subministrare.

Cum verò prolixius ista ex dissensionum caligine eruere nostri haud patiatur ratio instituti, monendos tamen censimus alios, ne titulo seducti existiment, nihil ex his umbris bonæ frugis exsculpi posse avido veritatum solidarum animo. Accedimus verò ipsa hac umbratilis pugnæ commendatione propius ad argumenta scopo nostro congrua, Medica scilicet, quæ & existentiam DEI, & providentiam apertissimè omnium oculis, animisque ingerunt; Quædam eorundem daturi specimina juxta seriem partium Medicinæ; specimina verò promittimus, eaque pauca, occasionem daturi aliis, amoenissimam materiam latius diducendi, ac in vastissima artis saluberrimæ latifundia penitus sese immergendi. Neque verò animus est attingere universam historiam naturalem, utut illa maximam, quā tria amplissima naturæ regna partem Medicis suam debeat culturam, ac splendorem, mare enim nobis esset ingredendum inexhaustum, non paucis, quæ nobis præstitutæ sunt, paginis; sed prægrandibus sufficiens voluminibus. Cum referat præsentem quælibet herba Deum; ac infelix ille Cæsar Vaninus, haud multo alias pollens acumine, carnifici jam tradendus coram judice suo egregiè demonstraverit existentiam Causæ primæ intelligentis, sublato ex terra straminei culmi frustulo; Quantò autem solidius id potuisset deducere, si nota tum ipsi fuisset plantarum Anatome moderna, si vidisset in

contemto illo culmi frustulo tot vasa , fibrasque , & tracheas , latentiaque in nodis mirabilia viscera , organaque secretoria , imò futuratum plantarum germina , minutias realissimas , sed tum nondum microscopiorum mentisque acie detectas .

Physiologia sola , dum vivum , sanumque hominem considerat , complectitur eam argumentorum vim , atque numerum , ut alia omnia videri queant superflua ; nos summa sequemur rerum paucarum fastigia . Utī verò Ill. Leibnitius extollit præ aliis argumentis , DEI existentiam demonstrantibus solidè , Ordinem rerum in Macrocosmo sua in amplitudine ratione temporis , atque extensionis spectato , ita Medicina suggesterit nobis in parvula , at stupenda Microcosmi Machina Ordinem , evidentissimum quidem , at simul finito intellectui quæ intimiora sua ac minutiora incomprehensibilem , ob excellētiam , præstantiamque artificii verè infiniti , infinitoque opifice digni . Quemadmodum verò Macrocosmi amoenissimus ordo oculis stupidioribus multum habere confusionis , ac turbatū videtur , ita & Microcosmi ordinatisima dispositio confusio quædam enormis illi queat videri , qui informes putaverit carnium , osseumque massas , nec mentis acis ultra obvias istas penetrat apparentias .

Elegantia verò , excellentiaque tam venusti ordinis illorum tantum oculis sese vivide ingerit , in primitque mentibus , qui sub textura , intricatione , combinatione , complicatione cubulorum , consensa mirabili ordinatissimæ hujus confusoris , intimius scrutatur , intueturque solidarum , fluidarum , atque facientium impetum corporis partium conspirationem amicissimam , actionum harmoniam inenarrabilem , tørque myriadum machinularum aptissimas conjunctiones .

Hic

Hic sanè stupendus planè ordo Ens infinitum , indepen-  
dens , liberum , intellectuque eminentissimè præditum abso-  
lutè requirit atque supponit , quoniam fine tali ordinante ne  
concipi quidem potest tam ~~con~~tinens , sub summa confusione  
apparente latens , ordo ; neque enim fundamentum seu ratio-  
nem suæ existentiæ ille in se habet , cum undique elucent  
infiniti fines , infinitaque ad illos rite obtinendos media , quod  
summam arguit , infinitamque ordinantis sapientiam , quæ non  
potest esse , nec reperiri , nisi in prima eminentissimaque cau-  
sa , quam omnes mentes non induratæ agnoscent naturâ tan-  
quam factorem suum . Nec diffitemur nos , Medicâ Meta-  
physicâ (forsan aliis minus acuta , nec satis profunda , appa-  
ritura) nixos , existimare , argumentum hoc ab ordine ma-  
chinæ humanæ intricatissimæ pulcherrimo petitum vim habere  
veræ demonstrationis ; mirarique vehementer , si quis nobis  
objiciat possibilem hujus coordinationis necessitatem ; vide-  
mur enim nobis videre in hoc necessitatis subterfugio manife-  
stam contradictionem , quâ idem affirmatur , negaturque ; a-  
gnoscunt tacitè opposentes , tales pulchritudines oriri sine cau-  
sa aliqua non potuisse , nec sibi dare potuisse originem , alle-  
gant ergò etiam nolentes causam aliquam , necessitatem nem-  
pe , de qua , quid sit , juxta cum ignarissimis ignorant , quæ-  
que in rebus limitatis , ac finitis , sidiroxylon est , & simul ne-  
gant adesse causam tam stupendi effectus , qui posset omnino  
esse alias , suamque præ se ubique fert contingentiam .

Nec eredimus ferire nos speciosam admodùm objectio-  
nem , dari ordines necessarios ; si igitur & iste , qui splendet in  
corpore hominis ordo , supponatur necessarius , frustra nos la-  
borare in detegendo aliquo ordinante , qui tum non require-  
retur ; atheum verò hanc supponere ordinis istius necessitatem .

Ma-

Mathesis suggestit argumenta specie non destituta; pulcherri-  
mus ibi occurrit ordo, quo numeri progrediuntur in infinitum,  
inde verò concludere haud licet, esse aliquem, qui numeros  
istum in ordinem redegerit. Ordo illorum est absolutè neces-  
sarius, nec aliis esse potest; concipi id potest ex ipsa numerorum  
natura, sive in ipsa hac re deprehenditur ratio sufficiens or-  
dinis, ac consequenter extra illam alia quærenda haud est.

Exemplo esse potest ordo, quo progrediuntur dignitates  
numerorum, ac infinitæ progressiones, ac series variæ gene-  
ris, atque illa inspecie, quam Cel. Leibnitius de circulo dedit.  
Fluunt ista ex immutabilibus Matheseos fundamentis, nec alia  
requiruntur, si velis concipere cur sint tales. Corpus nostrum  
est complicatio atque series rerum mutabilium, quæ juxta se  
invicem sunt, & connectuntur, ut quodlibet contineat ratio-  
nem, cur alterum ipsi junctum est, ac connexum.

Series Leibnitiana pro circulo membris constat plurimis  
connexis, sequo invicem sequentibus, habetque unum ratio-  
nem in se, cur alterum juxta ipsum hanc habet quantitatem,  
atque signum. Videri igitur queat, esse inter ordinem machi-  
nularum corporis nostri, atque seriem Leibnitianam similitu-  
dinem; ac proin saltem esse ponendas in eo, quod de seriei  
Leibnitianæ numeris dicitur, loco istorum membrorum, cor-  
poris nostri machinulas ordinatè combinatas, sic mox appari-  
tum idem utrinque obtinere, si etiam hic ordo sit necessarius.

Quantumvis verò speciosa appareat hæc comparatio, vi-  
detur tamen, si quid de rebus nostro ferè foro altioribus licet  
judicare, ingens esse inter res istas manifestumque satis discri-  
men. Non equidem dicam, esse etiam in certissima ista nu-  
merorum doctrina, contingentia, atque arbitraria non pauca;  
cujus Arithmeticæ decadica, tetractica Weigelii, ac binaria  
Leib.

Leibnitii præbere exemplum queat. Nec tamen ausim id ita nudè ac crudè concedere, quod dicitur, istas numerorum progressiones non indigere alio ordinante, cum & hic mens attenta conspiciat ordinantem, perfectissimamque regulam, divinum intellectum, qui si non daretur, ne quidem possibles essent isti Mathematicorum ordines, relationes, veritatesque quantumvis transcendentes. Quicquid verò de hoc sit, si concessum etiam fuerit esse tales series numerorum necessarias, quid hoc præjudicabit corporis nostri mirifico ordini; sunt ista arithmeticæ in mente solum, sunt inanes ideæ; si que darentur res existentes, quæ observarent istum serierum ordinem, istæ omnino habent necessariò causam ordinantem; non licet ergò conferre res actu existentes cum meritis ideis, si spegetes necessitatem, quæ in re existente finita nulla esse potest.

Hoc equidem non inficiabimur, tum necessarium posse videri corporis aliquibus ordinem, si partes alia ratione conformari, ac combinari non potuissent, aut unquam possent; Si enim alia dispositio partium non esset possibilis, nec alias situs, vel combinatio, quam qui nunc quidem obtinet, tum sermo posset institui de exclusione ordinantis, ac de necessitate existentiæ. Si verò hæc possint esse aliter constituta, aliæque ordinationes sint possibles, manifestum esse credimus, hunc egregium ordinem rationem suæ existentiæ in se, ac à se non habere. cur præcisè hic sit, ac non aliis, ergò extra ipsum ordinem querendus est ordinans, qui, si datum tibi sit inenarrabiles minutiarum ordines atque decorem intimius nosse, alias tibi nunquam poterit concipi, nisi infinitè potens, sapiensque, ac consequenter Deus. Nec quicquam refert, an induratus aliquis, obstinatusque atheus, qui plerumque affirmato secum animo statuerunt, nullis se cessuros ratiociniis,

D

his

his acquiescat , nec ne ; cum supra jam monuerimus , nulla huic argumenta sufficere , nisi Deus velum mentem obumbrans profanitatis potenti sua manu auferat , præparerque per iactus durissimos adamantinam mentem ; modò mentes melius dispositæ agnoscant , nil habere solidi atheum , quod tali argu- mento possit opponere , utpote quod contingentiam hujus or- dinis , & consequenter primam , ordinantemque causam in- fallibiliter evincat . Etsi autem structura illa mirabilis humani corporis eadem ferè videri queat , tamen (ut taceamus eam potuisse innumeris aliis disponi modis , ut eadem tamen obtinuissent functiones) varietas hīc obtinet incredibilis , quæ con- tingentiam , causæque intelligentis necessitatem firmissimè e- vincit ; ordo enim actu existens , ac finitus seu limitatus , ne- cessariò ponit limitantem , ac ordinantem , secus quām de ideis numerorum supra dictum est ; existens enim limitatum , supponit existentiam potentioris limitantis .

Firmantque ulterius hæc ratiocinia varietates , quæ in ho- minum corporibus obtinent incredibiles iis , qui obiter sal- tem texturam ejus menti suæ valent sistere . Huc pertinent in- signes , quæ circa ramifications vasorum , arteriarum æquè ac venarum observantur differentiæ , varietates circa ductum ipsum thoracicicum ejusque divisiones & insertionem ; situs partium ac viscerum varians , imò unius lateris viscera in alte- rum locata latus , defectus aliquarum partium , aliarum abun- dantia &c. omnia verò ista ordinem hunc mutationi obno- xium , contingentem proin , & à causa summè intelligenti profectum firmissimè demonstrant , quæ tam variè de rebus adeò multis pro finium specialissimorum sibi propositorum ra- tione disponit , imo quæ ad actiones corpus humanum dispo- nere potest , fine essentiali alias ad eas parte , eaque penitus absen-

absente. Si exemplum desideret incredulus, hoc habeat à D. Lamberti relatum: Comes de Ericeyra adduxit ann. 1709. Ulyssiponam juvenculam annos 18. natam Monsarazi in Territorio Elvensi, destituitur illa lingua, didicit tamen loqui. Ne minimum quidem hujus membra vestigium adest, nihilque simile.

Neque tamen id licet adeò advertere cum loqui illa co[n]atur, quam cum comedit; tum enim cogitur digitum immittere intra ossis cavum, qui faciat absentis linguae officium, juvetque ciborum masticationem ac volutationem in ore necessariam, ut circumvolvendo, agitandoque applicentur dentibus. Cæterum asseverat illa, se omnes distinguere ciborum differentium sapores. Dentes inferioris maxillæ utriusque lateris ita introsum flexi, sitique sunt, ut non nisi exiguum maneat spatum inter utramque seriem. Id mirandum est maximè, eam verba distinctè admodùm & articulatè pronunciare. Saltem vox ejus, (uti additur) resonat, uti senum vox edentulorum. Nil addimus, ob præstitutam nobis brevitatem, res ipsa loquitur per sapientem dentium ordinationem &c. Pateret hîc nobis vastissimus mirabilem campus, modò ipsum liceret ingredi, imò abyssus sese aperit innumerarum excellentiarum, atque ordinum pulcherrimorum in corpore hoc mortali obviorum, quæ omnia resonant existentiam, providentiamque summè intelligentem, summè sapientem.

Scripserunt alii de corde, alii de oculis dissertationes huic scopo unicè dicatas, sed scribenda essent volumina, si ea saltem essent evolvenda, quæ ad stuporem usque sedulos naturæ scrutatores de summis his veritatibus sua elegantia convincunt abundantissimè, qui tamen simul facile largientur, exilem nos detegere hactenus potuisse pulchritudinum corporis no-

stri partem, ac latere longè præstantiora in minimis; Microscopia Lewenhœkii, aliorumque stupenda detexerunt, Ruy-schianæ injectiones ad intimas minutiarum vasculorumque minutias ac anfractus penetrarunt, nec tamen potuerunt detegere minutissimas divini artificii elegantias, (quod tam facile tamen in tabum diffuit, putridamque saniem, novo sapientissimi Directoris, Autorisque argumento) Si quis vellet diffundere se in comparativam Anatomen, ac diversorum animalium conferre cum humanis partes, næ is finem prodigiorum non inveniret; Et, si cum Viro quodam erudito inveniret plus elegantiæ, atque architectonicæ præstantiæ in capite muscæ vilis quam in omnibus regum palatiis, obstupesceret penitus si cum oculis nostris, artificio penitus incomprehensibili, conferret muscarum, aliorumque insectorum oculos, binis homo gaudet, muscæ habent millia oculorum, cum illa sint polyedra, atque obtulerint stupenti Lewenhœkio totidem parvulas Turris Delphensis imagunculas. Sed avellendus est ab amœnissimis rebus animus, calamusque. Quis enarrat omnes corporis nostri ordines, pulchritudines mirandas, aptitudines & combinationes.

Sufficit salivam movisse discentibus, ad scrutanda, meditandaque profundius agmina illa mirabilem, videbunt vel in ipsa ossium articulatione vestigia sapientiæ divinæ splendidissima; ossis femoris cum tibia, fibulaque conjunctio intermedia cartilagine semilunari est artificium prorsus divinum, dudum Borello, Heistero, ac Morgagnio laudatum, Winslovio tamen potissimum magnificè in Hist. Acad. Reg. commendatum, comparatumque machinæ opticos syderum tubos in omnem plagam reddenti mobilem; idemque anatomicus industrius idem circa brachiorum ossa eorumque admirandas ad usum

par-

partis combinationes scitissime ostendit. Sed nec his licet immorari. Millies sanè repetendum nobis foret, requiri ad tam concinnos ordines primam infinitamque causam intelligentem; id enim clamant, ingeminantque omnes in corpore nostro particularum particulæ.

Ipsa, quam vivimus tam inæquali duratione, vita Dei providentiam omni momento efficacissimè inculcat, quisquis intimius contemplatur intricatissimam tot millionibus tubulorum correspondentium structuram humani corporis, vasculorum, fibrillarumque teneritudinem, violentas humorum per tenerrima vascula, celerrimasque trajectiones, ac propulsiones, omniumque citatissimam, si motus cessaverit, ad putredinem tendentiam, is sanè nunquam sine admiratione conspiciet senem vegetum, visu pollentem acuto & pelluciditate crystallini humoris tamdiu salva) mirabitur potius quenquam eò inter tot facillimè obtingentes vicissitudines, ac ad desciscendum pronitates attingere. Quanquam ipsa quæ inter senes occurrit differentia divinam maximè providentiam specialissimam requirat. Recordare Wepferi Senis, tamdiu asthmatici, mensaque affixi, atviventis tamen, licet trunco aortæ ad ima usque ad osseam redacto duritiem; vixit cum stupendo suo aneurismate Carolus Patinus molestissimè, at vixit tamen D E O providente; & quām hæc benigna ejus cura elucefecit in Fœmina primi ordinis, quæ senio confecta ad votum tamen benè valebat, adibat sacellum suum, indeque vegeta rediens, sensit in abdomen turbas quasdam, ac mox mortua concidit; novum non est apoplexiā subito finire hac ratione senum vitam, hic verò novum omnino erat, & sub directione tamen divina mirabile vitæ, tam modò vegetæ excidium, sinum dextro cordis ventriculo insculpserat profundius sensim sensimque

desciscens sanguis ad extimam usque cuticulam , (stupendum verò est, valere tamen potuisse actis his in fonte vitæ cuniculis fœminam Ill.) qua subitò perrupta sub Systole ejectus est in pericardium ad plures uncias sanguis, subitoque cor motu, vitâque corpus senile privavit.

Nec crediderim esse argumentum Medico validius, quām mentem nostram; hujus cogitandi vigor, & in quibusdam vastissima amplitudo ac capacitas, etsi limitata magis in aliis causam omnino requirit magis intelligentem in infinitum, quæ specialissima providentia dispenset hæc sua dona, limitesque ponat sapientissimè, cuique suam largitur mensuram, apparebit simul sedulo istorum magnalium scrutatori eorum extrema amentia, qui animas ad imam rerum corporarum classem deprimere haud erubescunt, quibus meliores non sunt, quijut videantur esse cautores, id saltim affectata prudentia asserunt, non repugnare materialem animæ essentiam, quæ tamen apertissimè pugnat cum ipsius functionibus in universum omnibus.

Si porrò speculum divinitatis lucidissimum est incomparabile corporis humani, ejusque tenerimarum machinularum artificium, fatendum erit primam ejus delineationem, atque à minutia incomprehensibili in utero crescentē efformationem, ac perfectionis gradualia augmenta adhuc majori necessitate stabilire directionem Entis summe intelligentis. Imo ipsa, quam toties laudant Medici, natura annuntiat constanter factorem suum, uti enim natura, quam naturatam vocant, clarissimum creatoris sui speculum est, ita Microcosmi natura, & quicquid de illa in sano sensu allegant passim Medici apertissimè docet atque inculcat, nos in Omnipotente hoc, Sapientissimoque Conservatore nostro esse, vivere, ac moveri.

Pathologia amplissimum pandit providentiaz divinæ Theatrum , tot volumina observationum hoc unicè loquuntur, imò clamant; quisquis enim apertos habet mentis oculos ubique in morbis vestigia deprehendit manifestissima Entis intelligentia, ac potentia infiniti, quod Machinam abs se tam affabre structam, uno quasi nutu destruere , sed & eam inter laberrationes, laxiones, corruptionesque quasi innumerar specialissima providentia ita valet in vita conservare, ut ne quidem finitus intellectus comprehendere valeat stupenda , quæ in ægris passim e-veniunt, quisquis obiter saltim morbosas dispositiones intue- tur, eum adeò non percellunt incredibiles ferè machinæ tam teneræ luxationes, inter quas tamen vitalem illa characterem quām diutissimè, utut sæpe languidè conservat, ut illi, qui œconomiaz animalis recessus omnes intimius habent perspe-ctos rapiantur in admirationem , quoties eos vitam diu satis vi- dent protraxisse, quorum organa inepta prorsus videri pote-rant, imo revera talia apparent , cum morte soluta fuerit ma- china. Talem datus ex Diario Trevoltiensi historiam stu- pendam.

D. Soumain Chirurgus Juratus Parisiensis, Ducisque Au-  
relianensis Regentis quondam Chirurgus luci publicæ expesuit  
relationem de Subjecto sectioni Anatomicæ corpore fœminæ,  
quod corde ferè penitus erat destitutum. Mali, nobile hoc viscus  
destruentis Historia deducta est inde ab anno 1720. quo Domi-  
na Heusé, pingui corporis habitu prædita , quietè dormiens,  
largeque pasta sine ullo incommodo, opem imploravit Domi-  
ni Soumain, usque ad 19. Martii 1728. qua die mors finem im-  
posuit curis hactenus pro ejus valetudine habitis. Semper  
crediderat Chirurgus expertissimus tumorem pectoris , quo  
cum potissimum conflictabatur afflictissima in progressu morbi

ægre-

ægrotæ , esse tumorem Aneurismalem , seu dilatationem Arteriæ . Sententia ejus confirmata fuit per Dòminos Ponce & Senac , Doctores Medicinæ Facultatis Parisiensis , ac per Dominos Pegna , Petit , Cannac , Labadie , Marsolan , ipsius Chirurgi Collegas . Status verò corporis post mortem apertione detectus ac inventus , clarissime ostendit , morbum hunc , siquidem ille initium habuerit ab Aneurismate , plurimum deinde suisse immutatum , aliumque redditum tractu temporis . In apertione scilicet Cadaveris post obitum instituta per D. Soumain , & D. Bajet , Demonstratorem Anatomicum ac Chirurgum res sequenti modò fuit deprehensa ; Post varias particulares atque huc non facientes observationes animadverterunt in Pericardii cavitate carnosum quoddam corpus , figura sua satis exprimens Linguam humanam , sed magis conve xum à parte antica .

Nullibi illud erat affixum (il étoit isolé) sine ulla connexione aut adhæsione , eadem id facilitate ex cavitate ista pro trahebatur , qua ex corbe eximitur pyrum , pomumve ; eo id Sectores magis dedit in admirationem , cum deprehenderent , esse id vestigium quoddam , aut quasi reliquias cordis ; fuit enim massa illa revera exterior paries sinistri cordis ventriculi ; longitudinem habebat trium digitorum transversorum , duorumque latitudinem in parte ampliore , digitumque circiter æquabat crassitie , quæ tamen imminuebatur , quò magis acce debat ad partem superiorem , ubi vix linea habebat spissitudinem unius ; colorem habuit fusco - flavum per intimam etiam substantiam se diffundentem ; nullæ in internis poterant distingui , dignoscique fibræ , substantia erat friabilis , referebatque , Tunni marini muria conditi similitudinem ; tota frusti moles non superabat ad summum nisi quartam cordis partem ; ne

totam superficiei expansionem conspiciebant pauculâs eminentias & inæqualitates, quæ arguebant manifestè actionem, agentis cuiusdam corrodentis admodum, quæ destruxerat viscus hoc musculofum.

Universa cordis basis, omnis illius pinguedo, columnæ ejus carneæ, vena cava & arteria pulmonaris; pars arteriæ aortæ, arteriæ coronariæ, omnesque circa magna vasa valvulae totaliter erant destructæ ac corrosæ, potestque affirmari, vivisse sine corde hanc ægram; quia portio residua absolutè non poterat supplere cordis functionem, neque totalem, neque ex parte; erat potius illud residuum extranea quasi, noxiaque jam pars, ac moles, impediens potius, intricansque partes, quæ contribuebant adhuc ad aliqualem, confusamque ac debilem sanguinis circulationem, idque à tempore non adeò brevi; facile enim poterant judicare inspectores, consumtionem hanc cordis non nisi plurium decursu annorum potuisse fieri, ejusque destructionem non nisi sensim sensimque esse factam.

Non absuntum erat Cor istud abscessu quodam, aut gangrena ultimis vitæ orta momentis, cum in cavitate Pericardii nec pus, nec partium destructarum laciniae fuerint repertæ. Pericardium igitur Cordis officio fungebatur; evidensque fuit saccum hunc ex Pericardio formatum se dilatasse, & contraxisse non leviter. Pulsatio quam admota nunquam non senserat manus cum applicabatur dextri lateris costis, ac costarum elevatio, quæ conspiciebatur, quoties tumorem adstantes aspergierunt, argumentum rei sunt convincens. Hæc sacci illius dilatatione contractio reciproca cogebat sanguinem, ex vena cava affluentem in pericardium, egredi ex cavo illo per Aortam.

Si ex Medico Machinæ humanæ peritissimo, ignaro tamen casus tam stupendi, quæsivisset, an vitam protrahere,

& violentam palpitationem pati in tali cordis statu possit homo, nunquam sanè id potuisset affirmare; altius igitur principium tam variam, tam contrariam viis ordinariis rem speciali direxit provisu, quod ultrò ii omnes agnoscunt qui gravitatem ac singularitatem læsionis æstimare norunt pro merito. Sic in Scrutinio causarum morbificarum profundiore nusquam non obviam habet *læsionem* Medicus, usurpandum non ut asylum ignorantiae, sed ut excitationem ad agnoscenda Dei magnalia. Addamus adhuc eventus quosdam, insultusque morborum veritates nostras præcipuas menti attentæ evidenter imprimentes Epilepsiam horrendus motus, ac Spirituum confusio, turbatio-que comitatur, ut ratio, sensusque aboleantur, quis igitur non agnoscat digitum providentis Dei, si iidem eveniant terribiles motus, subsultus corporis, capitisque ad parietem allisiones, salva ratione, ac sensu, ægro divina ex verbo DEI solatia audiente, talemque dedimus historiam in Eph. N. C. dec. 3. ann. 5. 6. pag. 89. similemque convulsivum affectum, quem cum malleatione vocat ob allisionem violentam, capitibus fracturam minitantem D. Wagner exposuit Dec. 3. ann. 5. 6. pag. 248. hic & ratio erat salva, & quod magis mireris loquela integra; & quam truculentas epilepsias adducit 3. Dec. ann. 5. 6. D. Schröterus, cum maximè, quam corripiendus ea vir non solum prædicebat, sed & erectus manens lento gradu obambulabat. Quis verò convulsionum portenta à DEO mirifice directa enarret? Sphaceli péricula nemo ignorat, si pars eotacta non rescindatur illico, de vita actum est, serpente ad intima necro-*si*, quam mirabilis igitur providentia ad plures post sphacelum menses servavit aniculam plusquam nonagenariam, pe- de sphacelato òlei terebinthinæ ope ad mumiæ formam re-dacto, conservatoque & indurato. Sphacelum totam pubis regio-

regionem occupantes eadem Eph. recensent à calculo per pueri urethram egredi non valente, superstite sanatoque, post absuntum penitus scrotum puero, sphaceloque, at quam terribili hoste viam calculo ex urethra mortificata pandente, ad salutem ægro per mortem quasi dandam directio-  
ne benignissimi Numinis; ad talia quis non attollat men-  
tem. vid. Dec. III. ann. 2. & 5. 6. Atque ut inhæreamustan-  
tisper terribilibus sphaceli historiis, sequentem adhuc subnes-  
timus, cum inter casus omnes Chirurgicos is maximè eviden-  
tem providenriæ DEI specialis demonstrationem subministret,  
qui nuper demum contigit Parisiis. Fœmina 75. ann. Biennio  
ab hinc violenter alliserat pedem, indeque contraxit ulcus anti-  
quum, neglectum ob avaritiam mariti, abiensque semper in-  
pejus, donec anno præterito superveniret gangræna, quam  
Chirurgus Spirituosis repressit pro viribus, edixitque tandem  
amputandum omnino esse pedem, sphacelo nigerrimo jam in-  
star Chinensis atramenti ad patellam usque protenso, sed sur-  
dis narrabatur fabula, nec maritus nec uxor admittebant con-  
silium, Chirurgi magis curiositate ducti; quam spe melioris  
exitus subinde visitarunt ægram putrescentem, tandem verò  
invenerunt inopinato fibulam, tibiamque abscissas naturæ co-  
natu, ut saltet putridos quoque rescindere musculos, vulnus-  
que dein facili successu debuerint ad plenam vetulæ sanationem  
deducere, quæ valet nunc vigetque; non desunt analogæ hi-  
storiæ, Hagiensis illa nobis modo allegata, succubuit tandem,  
deciderunt aliis putrescentes sub sphacelo lento musculi, hic  
verò exesa ossa sese separarunt ultrò, & musculi erant resecan-  
di. Quam mirabilis est directio Sapientissimi Numinis in re-  
bus quas mortales vix sua dignantur attentione stupidi.

Nævi à Matre infantι impressi sunt inter argumenta illu-

stria veritates nostras primarias animis attentis firmissimè imprimentia; ingens horum copia locum hīc non invenit; cogita saltem penitus dīmidium infantis caput Carpionis refētens juxta Blegnium caput; & fracta infantis membra, postquam mater rotæ supplicium cum horrore conspexisset; vel quam refert D. Gahrliep. Dec. 3. ann. 7. 8. Principem dextra manu mutilum, cuius Ser. Mater viderat inter anxios hostilis pugnæ terrores amputatam ense officialis sui dextram. Si quis ad casum hīc, ad solam imaginationis vim recurrat, exclusa altiori causa scientissimè incomprehensibile negotium dirigente, nāx is stipite omni stupididior nobis censebitur; novimus mediante perculta fortiter imaginationē ista contingere, sed requirimus aliquid sublimius, cuius potentia ita rem inflectat, ut ista manus absentia, similesque aberrationes possint tanta promptitudine evenire.

Et quis mente præditus non torpida agmina monstrorum passim descripta revocabit ad animum, ut non simul elevet mentem ad causam liberam, summè intelligentem, has ab ordine consueto deviationes sapientissimo consilio permittentem non solum, sed & specialissimè ordinantem, latet enim ibi plerumque majus aliquid, quām quod inspecta obiitet monstra omnium oculis ingerunt; abdita sanè hic sunt omnia quā originem talium prodigiorum; sunt quidem prompti Naturæ contemplatores moderni in assignandis rationibus talium eventuum; quid facilius est, ita rem occultissimam consueta levitate se putant illustrare, quid facilius, inquiunt, quām duo ovula, vel duas duorum oculorum cicatriculas concrescere, coalescere, variè uniri, partibus aliis suppressis, aliis evolutis postea? ut sic oriantur corpora quibus capita bina, plures pedes, manusve, quibus desunt partes, quibus abundant.

Quis?

Quisquis verò profundius consuevit ponderare difficultates, is sanè mox hujus inventionis debilitatem agnoscit, ac difficultatem extremam talium in cicatriculis combinationum, atque miscelarum, ac penetrationum quasi dimensionum, cuius conceptum clarum formare haud est possibile. An & hīc divinæ præformationi concedent locum ii, qui eam difficulter admittunt in generatione ordinaria? id saltem palpabile est acumine haud destitutis, plus hīc requiri intelligentiæ quām in naturali consuetaque generatione, fatumque & necessitatem si quis eam fingat, absolutam locum in tanta varietate minimè habere, quæ in tot mirabilibus eventibus libertatem nobis manifestat atque intelligentiam creata infinites superiorem.

Nec fingenda tamen monstra ac prodigia, uti, dum hæc scribimus, in diar. Literar. Tom. 14. part. 2. inter nova Genevens. recensentur hæc: Inventum est in Oesophagio vituli corpus satis informe, totum obvelatum crinibus vitulinis, nihil in interioribus massæ licuit distinguere, quia, dum delineabant eam, tota periit ac quasi disfluxit. Medici credunt esse eam fœtum duplicem, seu fœtum in fœtu; sed extraordinarium admodum est fœtum contrineri in interioribus alterius fœtus; nec minus extraordinarium est credere, excrescentiam fuisse hanc massam in vituli gula enatam. Ideò saltem hæc inserimus, ut pateat, quām facile sibi fingant mortales monstra sine sufficiente ratione, si vitulus fuisset in vitulo hæc massa, non ita potuisset perire sub manibus ac quasi disfluere, annon potius rudimentum fuit talis pilæ, quales in ventriculis boum reperiuntur ex pilis conglutinatis, quos lambendo deglutiunt. Sed istam conjecturam, totamque rem non nisi incidenter, quod ajunt, hic adspergimus, dum offertur in dicto elegantidiario.

Magicos morbos invita etiam Modernorum lyncea perspicacia, huc audemus referre, hi mentem nondum indurata per Spirituum finitorum polydædalum solertiam invitant ad venerandam intelligentiam summam, limitatas has intelligentias perspicaces quidem, sed limitibus suis in essendo & operando ab ipsa constrictas infinito post se intervallo relinquentem. Superba eruditorum plerorumque ratio, cum ipsi talia extraordinaria incomprehensibilia videantur, (faciunt enim acutam suam rationem regulam possibilium) mavult rem totam negare, brevique manu insolubilem ipsis solvere nodum; excusari forsan posset temeritas, nisi inter Christianos res revelatione firmata deberet majori veneratione tractari; quis enim ignorat, Salvatorem de fœmina à se sanata, cuius ligamenta constricta occalluerant, testari hanc Abrahami filiam ligatam fuisse à Satana? & mutum ejecto dæmonio (nervos linguæ forsan stupefaciente) esse locutum &c. dicemus infra in hanc rem adhuc plura; id saltem hic monemus, exempla Magicorum morborum tam esse numerosa, & eorum plurima tam exagonia, ut qui fidem historicam ullam agnoscit iis debeat acquiescere.

Dubitatores in hoc genere plusquam Cartesianos, quorum pinealis glandula in hoc situ ita jam cœpit obrigescere, ut in partem alteram haud facilè queat inflecti, hos inquam, vel potius eos, qui à partium studio sunt alieni, liberiique à præjudiciis remittimus ad historias vix numerandas; novimus ac fatemur numerosos quoque errores hic commissos, suppetunt tamen frequenter historiæ clarissimum veritatis characterem in fronte gerentes; mittimus alias, ex sola Dec. 3. Eph. aliquas commendamus Lectori æquo ruminandas. ann. I. Ledelij filiolæ recensnatæ ex ulcere circa cubitum extrahitur

por-

portio linteī candidi, minus subtilis convoluti. ann. 2. Cru-  
gerus sīstīt sponsum vētulæ artibūs solo indutum induſio dela-  
tum Dantisco Freienwaldum per 40. milliaria intra horas 24  
id quod curiosè explicabunt illi, qui translationem omnem  
diabolicam somniis accensent melancholicis; sed non im-  
moramus lepidæ historiæ, utut certæ.

Ann. 3. Hoyerus apertissimum Magicæ Epilepsiaæ exem-  
plum ferro circulari sub limine abscondito excitatum suasu ve-  
tulæ recenset, reiteratis tentaminibus extra dubii aleam posi-  
tum. Eodem anno Jægerschmidiana observatio sīstīt excreta per  
urethram fœminæ vitra, clavos, acus, imò constrictum, per-  
foratumque sacculum; Instar omnium est recensio exacta Ex-  
cell. nostri D. Lentilii de excreto insectorum agmine, aliis-  
que rebus, per vomitum post crudelia tormenta pueri ejectis,  
quæ si quis phantasiæ, vel naturali rerum istarum in corpore  
genesi ausit adscribere, indeque excludere pravi genii artes,  
illum nos suo patimur abundare sensu, venerantes providen-  
tiam divinam, quæ ita direxit hanc tragœdiā, ut nec inse-  
ctorum qualitati venenatæ, morsibusque, ac spasmis inde-  
natis, neque remediorum violentiæ succubuerit puer.

Ann. 9. 10. admittit D. Westphal. in mira Catalepsi atque  
epilepsia fascinum, etsi id forti imaginationi malit adscribere;  
novimus vim infelicem phantasiæ, nec quisquam eam inficia-  
bitur, eò tamen minime illa evalescit quò eam extollit Vir  
Cel. nec credo magnum Theologum Lœscherum hæc com-  
municantem ipsi, stetisse ab ejus partibus; altius etiam hic  
emicabat evidentissimè principium. Nescio an addam obs.  
ann. 7. 8. 123. qua D. Mieren in fœminæ corpore lecto, propè  
pubem invenit massam intus cum sanie continentem pilorum  
ruforum fasciculum, variaque ossa ac dentes; adscripsit rem  
fasci

fascino, sed in scholio B. Schrœckius mavult naturæ dentium, ac alyeolorum inventorum adscribere genesin. Malumus sentire cum Mœrenio, quanquam nec altera hypothesis eò minus aptasit ad roborandam de providentia divina fidem.

Dubitamus ferè an obſeffos à dæmone inter argumenta nostra referre debeamus, quos explodi hodiè ubique cernimus, uti verò sacræ literæ satis nos de re ipsa faciunt certos, ita exempla etiam illi ſuggerunt, qui naturalem phantaficæ vim ſolam allegant exemplo ſit memoratus modò D. Westphal, qui dum omnia illi tribuit, revera allegat exempla poffefforum à dæmone in Schol. ex Bartholino, Femelio, Hagendornio &c. locutiones enim iſta hebraicæ, græcæ aliæque, linguarum ignotarum altius poſcunt principium. Commendanda autem hæc ſunt meditationi proborum, prætituta nobis brevitas plura non admittit; ſed nec incredulis etiam plura ſufficient; adde tamen, ſi libeat, obſerv. Huberi à Rosenbach. à Joh. Franco datam obſeffi, ibique addita plura ann. 3. Deo. 3. Eph.

Semiotica non signa ſolùm morborum atque eventuum Medico ſuggerit, adeò ut nulli ex cæteris artis ſaluberrimæ partibus nobilitate ac necessitate cedat; ſed & ad nostrum ſcopum facit apprimè, ſi quis applicationem mentis haud perfunctoriè ad phœnomina ejus applicare dignetur.

Ipsa diagnosteos Difficultas Medico infervire potest ad di- vinitatem ubique detegendam in operibus suis, nec convenien- tius hic allegare exemplum poterimus, quam Magicos mor- bos, quorum Diagnosis, Medico omninò co-competens, diſſi- cultatibus obſepta eſt penitus. Nullibi tamen evidentius elu- cer DEI & existentia, & providentia.

Tota illa res hodiè delicateſta eſt, poſt quam ii eruditos in- ter prævalent, qui talia in universum habent pro ſomniis ac de.

deliriis ægræ mentis. Unde ex altera parte evenit, ut ii, qui agnoscentes multiplices in re tanti momenti errores & fallacias, rem tamen ipsam totam rejicere non valentes (quamdiu fides historica locum habet) eos atheismi conspergere labent, qui dæmonis istas operationes negare atque exhibilare sustinent, utpote qui scalam illam spirituum, quâ ad Deum ascendamus, mortalibus satis jam naturâ profanis etiam hac in parte submoveant, eripiantque; finitos enim esse hos spiritus nocentes, existentiæ suæ rationem in se non habere, nec proin vim propriam à se, subesse igitur factori suo, accepisse ab eo limitatas vires, nec posse proin teste experientia omnia quæ vellent, sed quæ ipsis permittuntur, quæque omnia sapientissima DEI charitate manifestè diriguntur ad commoda hominum, modò apertos illi haberent oculos ad ista benignissimæ providentiæ mirabilia agnoscenda.

Neminem latet, Illustrem Thomasium permotum tot inceptis contra sagas, Magosque processibus in ea incidisse fortissima præjudicia, ut omnia exsibilet, explodatque quæ in actis ipsi occurrerunt Magica indicia; inficiari nemo audebit, eum innumera rectissime rejecisse, sed nec deerunt fortasse, quæ merebantur attentionem majorem, & quæ artibus suis, jocisque consuetis declinare magis, quam dissolvere annis est. Dabimus ejus unicum exemplum ex scriptis ejus seriis ac hilaribus, quæ vocat, juridicis, ut compareat quâ arte, quamque scienter ea evitet passim indicia, quæ ipsi non poterant non videri stringere, ac habere vim aliquam probandi haud contemnendam; Scriptorum istorum parte tertia habentur ista, quæ innuimus, acta, Brevisime rem, ejusque methodum, recensimus.

Fœmina suspecta alterius fœminæ frumentum in molendi-  
no

no manu agitasse perhibetur, hanc verò postquam eidem quoque statim immisisset manum, mox sensisse in digitis, ac brachio muris quasi ingressum, motumque, subsecuto dolore ingenti lacinante; accessit Symptoma gravius, ac memorabile, hydrophobia scilicet; magno ægra tenebatur potus desiderio, cum verò ipsi exhiberentur pótulenta, junctis pedibus violenter in altum resiliit, ut nemo eam continere, nec quicquam illi ingerere in os valuerit; aperta hypocausti janua, vel fenestra, quamprimum illa sensit liberiorem aërem, imminebat suffocatio, sana cætera fuit, ac integra mente prædita. Causam mali rejicit in fœminam suspectam, anxie de illa conquesta; siccós cibos potuit assumere, nullos verò fructus humidiōres; biduo vix ita transacto mortua est. &c.

Fatetur magnus Jureconsultus hæc posse alicui suspecta videri, sed neque se, nec alios Scabinos fuisse inde commotos. Addit sub idem tempus plures quoque alias fœminas fuisse mortuas, sed de eodem mortis genere nihil addit, nihilque proin illarum obitus facit ad hunc casum. Sed suppetit ipsi effugium aliud magis astutum, historia analoga, quâ fretus non attendit hanc, sed ream absolvit; ita verò altera illa habet historia: Fœmina quædam decubuerat per aliquot dies quadam circa os læsione & exulceratione, quæ verò relinquens vix lectum curiositate mota adiit templum, ut processionem quandam videret, aurem admovit clausæ januæ, conversa verò subito vidiit adstantem sibi fœminam aliam suspectam Magiæ, quæ rentemque ex ea, qua se ratione habeat malum oris sui quo laboraverit, simulque admoventem manum suam ori fœminæ, illudque tangentem, quæ verò ex attractu isto adeò fuit percussa, ut brevi post talem quoque senserit sitem violentam ac præternaturalem, qualē supra recensuimus, sed oblata ipsi potu-

potulenta pariter non potuit assumere vel admittere, paucosque intra dies mortua est. Itum fuisse ab omnibus in eam sententiam, refert Vir. Cel. vetulæ attractum mortis causam esse genitam certamque, jamque ipsi fuisse sententia judicis adjudicatam torturam; quendam verò ex Consiliariis recordatum fuisse, istiusmodi Symptomata sequi morsum canis rabidi, ac aliâs curari submersione ac projectione in mare vel aquam; jussit igitur inquirere in originem oris exulcerati, detectumque sic fuisse eam lusisse cum catello, illumque irritasse, ut is ex malitia labium ejus momorderit, et si verò canis rabidus non fuerit, sed saltem momentaneè iracundus, licuisse conjectari, sequentem postea terrorem ab attractu suspectæ adeò fœminæ, horrorem inde secutum hæc Symptomata, canis alias rabidi morsum, comitantia excitasse, ut sic liberata fuerit à tortura fœmina illi jam tradenda.

Multa hinc possent moneri, etiam de hæc ultima fœmina, de morsiuncula canis non rabidi, &c. sed sufficit ad infirmitatem illationis Thomasianæ ostendendam, in fœmina priore suspicionem quidem adfuisse morsus alicujus à cane rabido, quomodo ergò huc quadrat casus ultimus, quo tamen obtrudit Lectori palpus. Posset equidem concedi, aliquid hydrophobici subinde etiam sine morsu canis rabidi observari, (quod ipsi quondam in Illustri fœmina grava observavimus, sed sine periculo ipsius) sed gradus est longè inferior, nec tam periculosus. Hæc ideo saltem monemus, ne Tyrones promiscuè credant omnibus istis explosionibus Thomasianis, quibus elevare audet quicquid uspiam occurrit Magici; ubi sanè major omnino requiritur circumspectio.

Neque hanc ista in finem recensuimus, ac si censeremus fœminam istam suspectam statim ideo pro Saga habendam fuis-

se ac declarandam, ad minimum tale indicium majorem meretur attentionem, atque indaginem profundiorem; cum sic satis appareat Virum Ill. in recensionibus semper talia magno studio feligere acta, ubi justitiarii cœcitas ex indiciis insufficientibus nescio quid magici frustra extorquere conatur; ac ubi locus est derisioni ac jocis, uti non semel repetit mulierculæ assertum, se cum dæmone in altissimæ turris summo apicem novies concubuisse &c. Historiæ sanè aliæ talia exhibent, quæ diffidare eadem facilitate non licuisset, saltem cum aliquo fundamento. Nec licet inficiari Virum Ill. modo suo agendi contra Magica non leve scandalum dedisse; etsi enim illicò confugiat ad scandalata accepta, dataque neget, juventus tamen ad profanitatem prona lubentissimè talia, ac sine sufficienti examine arripit, habetque tanti Viri effata pro evangeliis, ac prolabitur in alterum extremum, ut dum olim temerè omnia vel vulgo Magica visa admiserint, nunc temeritate pari omnia etiam attentione dignissima repudient. Dolendumque est, per jocuni quasi, potentem aeris archonta novum dici, ac penè impotentem, qui tristissima experientia tam vastæ infelicium mortalium pacti, doctis æquè, ac indoctis tam potenter, tamque despoticè dominatur, etsi violentam istam servitutem miféri nec videant, nec agnoscant. Medicus verò Deum timens etiam circa hos morbos Magicos vestigia providentiæ sapientissimæ nunquam non deprehendit; ac licet vim imaginationis in gravidis, nævis maternis, imò & aliâs satis evidenter agnoscat, eam tamen eò usque nunquam elevabit, ut ea efficere valeat, quæ ipsi tribuit D. Westphal, Med. Sax. aliquæ quæque ipsi lubens adscriberet Ill. Thomasius.

Diagnosis verò morborum in genere, uti plus longè difficultatis habet, quam quidem communiter credunt filii Medicorum.

dicorum, ipsique interdum *Artis Antistites*, ita speculum quod-dam est satis lucidum divinæ in morborum complicatione, suc-cessione, ac connexione directionis, sine qua tam mirabiles sæpe vicissitudines, ac nexus ægritudinum ne concipi quidem sufficienter possent. Prognosis autem circa morborum even-tus, sæpe incomprehensibiles, omnemque Medici prudentis captum superantes, adhuc frequentiora fortioraque suppeditat argumenta, quæ si vulgo non æquè revocantur ad animum distractum, omnibusque aliis intentum, abundè testimonium perhibere possunt cœcitati nostræ atque ignaviæ naturali.

Ephemerides Nat. Cur. innumera huc spectantia submi-nistrant, sufficit verò sola Historia Bauzmanniana, virginem exhibens, quæ & circumstantias morbi & remedia necessaria prædixerat, missa verò illa est ad Cel. Schelhammerum, ac inserta app. ann. primi Dec. III. Eph. N. C. Tanta ibi occurrit mirabilium varietas, ut bonæ mentis homines τὸ θεῖον frequen-tissimis indiciis in decursu morbi quam maximè diurni, atque ad annos durantis non possint non agnoscere.

Tot singularibus eventibus enarrandis locus hīc non con-ceditur, agnoscimusque cum Medico Bremensi, qui ultimam morbo manum adhibuit affectum fuisse hypochondriacum, sed tot febrium vicissitudinibus, tot hysterici mali, convulsionum, deliriorumque successionibus stipatum, ut eò facilius simul per-spicere liceat accessisse malorum forsitan æquè, ac bonorum An-gelorū opera; prædixit omnem morbi quotidiè imminentis seriem, signis in Calendario annotaverat totius anni variatio-nes ægritudinum, atque exacerbationum exactissimè, eventu plerumque accuratè respondente, tribus somniis ista omnia à binis viris adstantibus didicerat, qui & remedia suggererant, venæ sectionis & purgationum injunxerant tempora, quæ cun-

ta, stupente medico attentissimo, uti inscripta dudum erant calendario, evenerunt; adjunxere se phænomena paradoxa minus extraordinariis, visa manus ter candelam à virgine inversam, denuò convertens; spectra ac larvæ terribiles, tactus in brachio secuta inflammatione excoriatoria, catelli actiones & passiones, conjecta in caput ejus amygdala &c. Irrisores ista de providentia vijs mirabilibus haud convincent, sed nec merentur illi liberati à sua cæcitate; qui æquiore sunt animo in salutaris veritatis agnitione his omnino confirmabuntur. Possemusque huc referre farraginem rerum, somnia tot indicantia ægris remedia congrua, tot prædictiones eventuum morborum, tot horæ mortis præsagia, tot eventus præcedanea medicorum asserta evertentes, eludentesque &c.

Parum tribuimus Chiromantiæ affinibusque artibus, toutes illæ fallunt, sed videmus subinde successus qui altius principium manifestissimè inculcant; Fœmina è vulgo, multis famosa prædictionibus obviam habet aliquot studiosos, unum sibi ignotum mox acrius intuita monet ut post sex circiter sibi caveat menses à lapsu, qui immineat, gravissimo, & graviore ferè isto quem jam sustinuerit felici eventu. Juvenis nullius lapsū sibi conscius eam irridet, terretur tamen postea cum ipsi mater in fériis de hoc interrogata exprobraret, quod oblitus sit gravissimi lapsus, quo-præceps actus è scamno mortuus quasi fuerit sublatus, jacueritque mortui instar per plures horas; accidit verò circa præfatum prædictumque tempus ut ille, sibi ab equis, aliisque periculis cavens, vesperi lecto incumberet, firmo proposito, se, cum alii petunt lectum surrectum ad studia continuanda, accidit verò, nescio qua phantasiaz somniantis determinatione, ut in somno surgeret, pergeretque ad valvas apertas, iisque conscientis præceps ferretur in vineam sub-

subjectam ex altitudine enormi 40. circ. ped. fregit tam horribili lapsu sinistrum femur, dextrique pedis tibiam fibulamque cum vulnere, excusit lapsus terribilis, dolorque somnum, effectumque est, divina annuente clementia, Chirurgorum praestanti opera, ut calli feliciter in ossibus enati plenam utrius pedi formam, atque integritatem reddiderint, nihilque ultra molesti sentiat felicissimus juvenis; qua quidem in re quisquis divinæ specialissimæ providentiæ apertissima vestigia non agnoscit, sed somnia sibi voluerit de casu, vel fortuna fingere, is suæ omnino relinquendus est tristissimæ dispositioni mentis, optandumque, ut sanitatem illi reddat misericors Deus.

Sed nec diætетica sua nobis denegaret argumenta, si locus iis superesset; cum enim usum sex rerum non naturalium moderetur illa, abundantissima suggerit divinæ providentiæ ~~temporiorum~~. Vel solus aer, quatenus atmosphæra est, omni meditatione est dignissimus; Endemii, atque Epidemii morbi, qui illius per tempestatum vicissitudines mutationibus potissimum debentur mirabiliter ordinariè à Deo diriguntur, occurruntque inter editas ab illis strages tam manifesta divinæ protectionis vestigia, ut vel ipsa pestis magnalia providentis Dei potentissimè incredulis queat inculcare; selectus ille superstitem prædemortuis, Medici, Chirurgique alibi omnes ferè enecti, alibi omnes evadentes liberè à lue loquuntur curam providæ directionis altissimæ; evenit hoc Massiliæ in Medicis, Chirurgisque Monspeliensibus, quos eo pertraxit rara hæc felicitas, ut pestem contagiosam esse seriò ausi sint negare.

Cibus ac potus non magis sunt steriles in firmando nostro scopo; quatenus inter excessus plurimi perveniunt ad senectutem grandem; quam verò alii inter exactæ regulas diætæ abripiuntur cito. Quam stupenda offert praxis inedias; recordamus

damur studiosi lenta febri exhausti, qui per integras septendecim hebdomadas vix aliquot juscūli cochlearia assumisit; mereturque attendi inedia à Capucino Melitensi ultra mensem ægris inter largissimas corporis frigida inundationes ac haustus promotorum curatione injuncta; cum alias brevi vita deficiat sub tali inedia. Referri huc possent somni diuturni, vigiliæ excessivæ, incredibiles maniacorum, convulsorumque ac violenti motus; stupendæ ac fidem superantes hæmorrhagiæ, aliaque excreta, &c. Et vel sola Animi Pathemata nobis sufficiunt, horum terribiles effectus medica historia abundè enarrat, quid non liceret huc congerere de Hypochondriacis, de Melancholicis, de verè tentatis; quorum terribiles angores, ac contremiscentiæ Schola esse queant Theomachis insolentibus, si quidein tanta ipsis obtingeret felicitas, ut in fornace ista sudarent aliquandiu; hic sanè conscientiæ angustatiæ tremores possent ferrea isthæc frangere pectora, si lucidas has tenebras atque angores salutares ipsis indulgeret, tanquam salubre pharmacum, benignissimum Numen; uti quibusdam obtigit ista fors prosperrima; vidimus id supra in tremente Rofæ Comite morte appropinquante, qui omnibus antea sacris illudebat.

Celebris Abbas de Rançei in easdem angustias viso inopinatò Amasiæ Ill. cruento capite, atque ad frugem optimam redactus est. Subitque modo memoriam vita Comitis de Santena, Fratris Marchionis de Tana, Turinensis, qui contentor DÉI & sacerorum impius legens ad fallendum tempus Judicac Josephi Historiam ea tactus est anxietate DEI miserantis providentia, ut rectè valens corpore, animo subitò fractus atque ægerrimus è lecto se daret in terram præcipitem, inclamans Deum, si quis esset, ut ab hoc se angore liberet; factus subito posnitens, & Trappæ celebris incola plenus zelo progloria

ria dilecti, quem profanè antea negarat, contemseratque DEI. Utinam verò omnes profanos ita prosterneret benignissimum Numen. Sed lux hæc immensa penetrat istas abyssos malitiarum, videtque obfirmata obstacula lucem non admittentia semper percellentem.

Therapeutica quanta quanta est speculum divinæ providentiaz magnificum in omni ambitu suo vastissimo exhibet. Medicus, cui apertos Deus concessit mentis oculos, ubique in morbis Ejus videt, miraturque magnalia, partimque & veneratur abscondita mortalibus judicia. Quoties ii è mortis quasi faucibus eripiuntur, quos signa omnia morti adscripserant; quoties ii inopinatò ac violenter quasi abripiuntur, qui salvi jam Medicis spe proxima videbantur. Hic providentiaz occultissimæ panduntur semitæ; hic scribi possent volumina sublimes has nostras veritates comprobantia.

Nobis non licet nisi pauca indice quasi digito monstrare atque attingere. Præmittemus historiam ipsis his diebus in Diar. quodam Gallic. lectam, quæ apprimè nobis videbatur specialissimam, ac prorsus singularem DEI in morbis providentiam in clara luce collocare, ac simul utilitate haud destitui in erudiendis Medicinæ Tironibus. Ann. 1728. Mens. Decembr. J. Destendeau, Chirurgus Hagiensis, vocatus fuit à D. Isaac Cusin, Metallico fusore Parisiensi, annor. 50. laborante externa ani fistula, quæ ipsum torquebat inde ab octo, novemve mensibus, frustra usus erat Chirurgi ope, qui inter acerbos eructulentosque dolores eum tractaverat, tandemque declaravit malum esse incurabile.

Exhaustus jam erat viribus æger, consumtus, ac penè hecticus, exorta inter immanes dolores lenta febri nunquam cessante, ita enim infecerat purulenta ulceris sanies sanguinis

massam, ut instare ultima viderentur. Inspecta, tentataque fistula, inquit D. Destendeau statim instituendam esse operationem judicavi, cum hæc fistula, aperta exterius duobus ab uno digitis è latere natis dextro, non potuisset ultra se extendere, nisi reddendo operationem institutu haud amplius possibilem; cum fistula jam recta linea perforasset totum sphincterem ad indicis digiti longitudinem. Operationem feliciter aggressus sum ii. Decembr. die, cum vero crederem, me omnia jam absolvisse, digitum tamen immisi plagæ, ut cognoscerem, an satis liberaverim, ac scarificaverim latera fistulæ, ac obstupui cum, cum in imo incisæ fistulæ fundo versus vesicæ collum peregrinum quoddam, durum, acutumque corpus, infixum ibi profundius ac penitus, persentiscerem, tangeremque; facienda igitur ibi erat leviuscula incisio ulterior, ad id plenius detegendum, liberandumque ab adhæsione, ut apto apprehendi posset instrumento. Succesit res ad votum, istoque instrumento eduxi, ossis acutam utrinque laminam, ac pungentem, duos digitos transversos longam, paulò latiorem, spissioremque scriptorii cultelli lamina durities ejus, externaque facies bovilli ossis laminam esse docebat; non recordabatur æger deglutivisse se tale ossis frustum, id verò ex mente sibi haud excidisse, quod incurvando corpus ante fistulæ manifestationem senserit ensis quasi puncturam circa rectum intestinum, qui dolor usque ad deliquia eum torserit. Tum sanè perforavit acutum hoc os rectum intestinum, redditus est plena & fistulæ, & febris sanatione plenæ sanitati 30. Jan. 1729. quinquagesima ob operatione die.

Credendum omnino est, pergit Chirurgus, osseam hanc laminam secundum longitudinem suam cum juscule transisse sub

sub deglutione subito per fauces, id verò admiratione est dignissimum, corpus tam longum, tamque acutum transiisse per fauces usque ad imum diaphragmatis per canalem longiorem, adeò glandulis confestim obsitum, (addo adeo sensilibus constantem fibris) æsophagum nempe, quodque ingredi ventriculum, egredi per pylorum, ac progredi per intestina tenuia potuerit liberè, quæ adeò longa, adeò cellulosa, sine adhæsione, sive punctione, infixione, usque dum ad rectum pervenisset, quod dubio procul perforavit superius paulò quam unde id extractum est, cum protruderetur, premereturque, tum proprio pondere, tum peristaltico intestinorum motu unà cum fecibus huc adactum. (Addimus nos multiplex, & vix evitabile periculum per totam hanc viam, ubi cunque hæsisset lamina acuta, ibi effecisset pungendo, laceando, perforando fistulam, sive in gulæ tubo, sive in ventriculo, sive in longissimo intestinorum canali, ubique aliâs fistula erat incurabilis, pereundum fuisse ægro lenta febri ac doloribus exhausto, alibi hærendo nullam relinquebat spem sanationis, huic ergo ministrante gratiôsè, ac dirigente mirabiliter intermedias causas, providentia divina manifestissimè, delata lamina eo in loco perforavit intestinum, unde poterat, etsi post mala enormia posset extrahi, siveque conservari hominis vita; imo debebat supervenire alias Chirurgus, qui ne quidem ipse quicquam tulisset opis, nisi ultimo, post peram operationem tentamine detexisset divino sanè ductu insolitam duritiem;)

Meritò hinc monet; hanc operationem docere posse Chirurgos. ut agant circumspetè; ne temerè exponant, imo frustrà; ægros tormentis intolerabilibus, quo i signis attentioni, præparatioque omnium, ante operationem, in ea, ac

post eam unicè confert, Manifestum enim est, operationem hanc fistulæ, et si omni artificio institutam, non solum fuisse futuram prorsus inutilem, sed & ægro fatalem, qui non potuisset non mori miserabilem in modum, si infausta hæc ossea acutaque lamina post operationem non fuisset detecta, ibique mansisset infelici sidere.

Dicit hinc Chirurgus, rem esse admirandam, pulcherri-  
mum naturæ ordinem, & curam, quam illa indesinenter ge-  
rat pro conservatione sua, expellens, extrudensque extror-  
sum, quicquid sibi poterat nocere; exemplumque allegat os-  
sis hujus, quod ubicunque infixum in longissimâ via, nec  
detegi ulla arte, nec remedium malo ullum afferri potuisset.  
Nos cum ipso miramur omnino ordinem hunc naturæ elegantis-  
simum, hanc tamen illi assiduam curam tribuere non possumus,  
cujus gloria soli debetur providentiaz divinæ, regenti, dispo-  
nenti sapientissima serie infinitas causarum combinationes ad  
effectus tam mirabiles, tam apodicticè sapientiam, direc-  
tio-  
nemque rerum plusquam finitam demonstrantes. Cæterum  
agnoscimus cum Chirurgo hoc, si quis attente, profunde-  
que pensitaverit humani corporis & structuram, & functio-  
nes, magis eum obstupescere quod gravioribus, frequentio-  
ribus malis non urgeatur, quam quod tot morbis sit exposi-  
tum, internæ enim æquè ac externæ læsionum causæ tam  
sunt numerosæ, imo lædendi occasionses innumerabiles; ea est  
partium ac machinularum, in unica, stupendaque, machi-  
na multitudo, ea læsionum facilitas, ut mirum sit, si un-  
quam illa sit integra. Hinc tandem concludit Chirurgus  
magnitudine rei percussus: Pulchra hæc œconomia corporis  
rapere nos in admirationem, mentemque nostram elevare  
efficaciter debet ad autorem eam conservantem, dirigentem.

Æter-

Æterna, infinitaque Sapientia, quod Galenus, etiam si Ethicus, tanta cum convictione annotavit, nobisque commendavit, ut dare in pudorem doctos etiam valeat Christianos.

Miracula fieri in morborum subinde curatione frequenter in ore omnium est; clareque ostendit mirabiles eventus & divina providentia sapientissimè præter hominum spem atque opinionem procurari; verè autem dicta miracula (quæ ut ut hodiè rara, negari tamen haud possunt, nec debent) divinitatis argumentum sunt irrefragabile; miracula Christi neç ab ejus hostibus sunt vocata in dubium, nec posse verò supra naturæ vim, ordinemque aliquid fieri ab ipsa natura evidens est; Dei ergò existentia ac providentia hinc indubie firmata est; alibi verò de his egimus latius.

Vulnera intestinorum lethalia æstimari in comperto est, & toties tamen speciali ac singulari Dei provisu feliciter illa coaluere, vel saltem istæ continui solutiones fuerunt innoxiae. Eph. dec. 3. suggerit exempla, ann. 2. d. Jægerschmid sistit virum ex abscessu inguinali & feces cum granulato pure, & cohortem longorum vermium excernentem, feliciter tamen remediis sanatum. ann. 4. sistitur fœmina herniosa è simili abscessu alvinas feces cum impetu egerens per plures septimanas, coalescente dein plaga fecibusque pristinas repetentibus vias. Ibidem refertur, cerasorum nucleos mole sua adstrictam alvum, vulnusque dehinc intestini ac inguinis excitasse, iisque feliciter periculosa hac via excretis, ulcus coiisse ad votum.

Imò Medici Romani Brassavolæ testimonio virum plumbea glande vulneratum in ventre, sanata plaga per alvum egesisse glandem. Et quot passim legimus historias egerentium per abdominis ulceræ feces, recordamur nunc commodè

Taurinensis Franciscani Patris, faceti, bibulique qui appensa ventri vitrea lagena indesinenter in illa feces alvinas colligebat. ann. dec. 3. §. 6. deprehendens Ileum & vulneribus, & ulceribus variè perforatum, sanatumque. ann. verò 3. dubitavit vehementer d. Albrecht an fidem sit inventurus, enarrans frustum intestini spithamam longum post terribilia tortmina per alvum excretum cum appensa omenti lacinia, valvulaque Bauhiniana, tam felici tamen præter spem omnem eventu ut incomprehensibili prorsus coalitu canalis intestinalis manserit continuus occulto modo, ac apertus fecibus posthac promptè viam suam repetentibus; quis in omnibus istis exemplis non videt digitum DEI, atque intelligentiæ infinitæ vias mirabiles?

¶ Et quis non eosdem sapientiæ immensæ radios conspiciat in casu dum hæc conjicimus in chartam oculos subeunte ann. Eph. 5. 6. ubi sstitutus futor juvenis ex maligna febri infelicitè sic terminata prorsus aphonus & surdus, integroque biennio miseritatem hanc degens vitam, donec tempore isto effluxo à suis in bilendo sociis orta rixa verberibus enormiter exceptus, contususque cum primis in occipite fuisset, idque divina sub directione tam felicitè; ut brevi post debilem primum, post liberrimam recuperet loquelandam, felibus istis plenè restitutus plagis post perpetuos aurium sibilos ac tinnitus, somnio prius monitus rediisse sibi loquelandam. Sic in infinitum evolvere liceret atque huic transcribere memorabiles diviniæ providentiæ circa morbos directiones; neque esset mirabilem finis; si liceret plura congerere; quām enim egregiæ sunt novæ post fracturas ossium articulationes, quarum notitiam debemus Excell. D. Salzmanno, quam clara experientia, prospicere hominum miserorum malis factorem ipsum.

rum misericordissimum. Atque annon manifestissima ejusdem veritatis argumenta haurire licet ex ipsis somniis passim descriptis, quibus ægri accuratè vel de vita, vel de morte, imò ipsius hora, imò & de remediis alia via non cognoscendis, congruis tamen atque adæquatis ipsorum malo, moniti fuere perbenignè ab altiore luce in animam radiante, istasque phantasie ideas imprimente.

Et quis tandem scribendi finis esset, si ingredieremur vastissimam remediorum sylvam, atque ostenderemus, quām illorum vires sint eximiæ, quamque illæ non possint cœco casui adscribi, sed fines omnino clarissimè adstruant ab Intelligentia suprema ipsis præstitutos, ac sapienter ad scopum certum determinatos, ac limitatos potenter. Quis non miratur, rerum istarum gnarus, opii narcoticam, saluberrimamque, sub recto usu vim? quis Nitri, tam contemptim quotidiè cum pulvere conculcati salis eximias vires, acidis spiritibus longè superiores, atque ad quandam panaceæ similitudinem appropinquantes aliunde quām à liberalitate conditoris infinita deducat, cuius providentia in pulvere etiam & fimo ea abdidit quæ saluti mortalium sunt aptissima.

Qui verum usum admirandi Corticis Peruviani habet perspectum, is tantum abest, ut male de illo dieat, ut potius benedicat Deum, qui voltuit per vile mancipium prospicere infelici antea quā hanc partem Europæ, ac manifestare potentiam ac sapientiam suam per contemptum adeo, etiam medicis, non raro Doctissimis, corticem exoticæ arboris. Hypocacoanham casu alvi fluxus moderari, vimque exercere emeticam pueris persuadendum est, non iis, qui rerum destinationes rimantur profundius, noruntque D. Regis, celebrem Galliarum Philosophum radicula hac ab inveterato alvi fluxu fuisse

fuisse restitutum , cum omnis jam restitutionis spes decollasset.

Quid verò mirabilius est viribus purgantium , quorum tot genera , tot species , tot gradus divina benignitate possimus , ut pro libitu quasi , & cujusque hominis idiosyncrasia moderari liceat necessarias egestiones ? an & hæc omnia casu eò aptata sunt , annon hæc , & similia infinita una voce , eaque altissima , clamant Deum esse , qui hæc omnia sapienter dispensaverit . Sed abrumpendum est filum hoc , in infinitum aliás excursurum !

Animo bono , ac sincero hæc & similia , quæ à quovis nullo negotio adjungi possunt abundè sufficiunt ; profanis verò , empæctisque induratis nulla satisfaciunt argumenta , ne id quidem , quod hodiè non invenit contradicentem inter eruditos quæ validitatem suam , à rerum scil . contingentia de- promptum . Chalybea pectora possunt argumentis vinci , convinci non possunt , nisi malleo miseriatur , crucisque amarissimæ contusa , conquassataque redeant ad sanam men- tem ; hac enim verè destituuntur , quis ergò postulet ab ipsis ut veritatem agnoscant , cum mentem in mendaciis pravi cor- dis sui obfirmaverint ; nil superest , quām ut ii , qui rectius sentiunt , preces pro his amentibus sinceras fundant ad misericordiam illam æternam , quæ sola potenter miserias has creaturas potest percillere in intimis , sibique subjicere stul- tam eorum superbiam ; ut sic hac etiam via Gloria ejus sem- per mortalibus illustrior illucescat , atque magnificen- tius manifestetur .

